

0.
Dissertatio Juridica Inauguralis

15 65.

De
**JURE CONSTITUTI
POSSESSORII**

1658, 3.

QUAM

D. T. O. M. F.

Ex Decreto & Autoritate, Magnifici & Nobilissimi
JCTORUM Ordinis, in Illustri Academia Hasso-
Schaumburgica

PRAESIDE

Viro Amplissimo, Consultissimo & Excellentissimo

DN. JOHANNE MARTINO Brandes

J.U.D. & Pandect. Profess. Ordinar. & Facult. Juræ hodiè

Decano Spectabili, Dn. Patrono ac Promotore
suo maximo

*Pro Summis in Utroque Jure Honoribus & Privi-
legiis Doctoralibus ritè obtinendis*

Publico examini submittit

ENGELBERTUS Wipperman Brem. Sax.

Ad d. Novemb. horis ante- & pomeridianis

IN AUDITORIO JCTORUM.



RINTELII, Typis Viduae Lucianæ.

clō 13 c LVIII.

Dissertatio Juridica Inauguralis

JURE CONSTITUTI
POSSESSORII

Dr. F. O. M. F.
in Doctoro & Auctoritate, Magistro & Nobilitate
Juris Ordinarii in Illustri Academia Halles-

Stamburgica

Residit

Dr. JOHANNES MARTINUS STAMBURGICUS

Mag. & Public. Juris Ordinarius in Illustri Academia Halles-

Stamburgica

in Martino

Prozessor in Curia Imperialis & Provinciali

in Martino

ENGELBERTUS STAMBURGICUS

IN AUSTRIA

STAMBURGICA





I. N. I. C. A.

Dissertationis Inauguralis
 De
Jure Constituti Possessorii

T H E S I S I.



Mnem acquisitionem Dominiij à
 possessione plerumque incipere, rem ac-
 curatius pensitanti, nequit esse obscu-
 rum, vid. *L. possessio. l. s. i. ff. de acq. vel a-*
mitt. poss. junct. s. 12. 13. 14. Inst. de Rer. div.

Quum verò possessio sapissimè per Con-
 stitutum Possessorium utpote nobilem & frequentiore
 transferendæ possessionis modum transferatur, operæ preti-
 um visum fuit, de hoc Constituto Possessorio, quantum per
 ingenii vires, juxta ac materiæ obscuritatem ac difficultatem
 licuerit, in subsequentiis thesibus paucis agere; In his autem
 cancellis noster se continebit Discursus, ut nimirum inquiramus:
 1. Quid & quotuplex sit hoc Constitutum Possessorium;
 2. Quomodo fiat; 3. Quæ personæ constituere possint;
 4. Quodnam ejus objectum; 5. Quis ejus effectus, &
 6. denique Quomodo finiatur.

A 2

Ante-



I I.

Antequam verò rem ipsam aggrediamur, necesse est, ut vocabulum Constituti liberemus ab ambiguitate, variè enim verbum Constituti in jure accipitur, interdum significat pacifici, pactum facere, convenire, *ita Terent. in Hecyr.* nam constitui, inquit, cum quodam hospite *vid. Vvesenb. ad t. ff. de Constit. pec. n. 1.* nonnunquam convenire & conveniendo se obligare ad id, quod jam debitum est, sic constituere significat, quod minus firmum est confirmare & constabilire, quæ significatio etiam *Cicer. lib. 1. de offic.* usurpata legitur, ubi ait, in untem ætatem senum prudentia & autoritate constituendam esse & regendam, *Frantz k. Comm. ad ff. tit. de constit. pec. n. 2.* Est & alias vis verbi *Constituere*, secundum *Zaf. ad tit. de Constit. pec. in pr.* magna in jure nostro, qui enim constituit se possidere pro alio, perinde facit alium possidere, ac si tradidisset rem, ut cum vendo tibi fundum & constituo me possidere nomine tuo, jam tu es possessor & transtuli in te possessionem *l. Quod meo. 18. in pr. ff. de acquir. vel amitt. poss. Schneidov. ad §. de constituta. 9. Inst. de act.*

I I I.

Hinc Dd. enata est distinctio, qua constitutum in obligatorium & possessorium, dispescunt.

I V.

Constitutum obligatorium est pactum prætorium, quo quis debitum sive pro se, sive pro alio se soluturum, nudo pacto sine stipulatione, promisit sive constituit.

Per

Per text. in Authent. Quando. & in L. Receptitia 2. pr. vers.
 Hac apertissima. C. de Constit. pec. item Novell. 115. cap. 6. & §. De
 Constituta. 9. Inst. de Action. Mod. Pistor. vol. 1. cons. 63. n. 27. Kit-
 tershus. ad d. Nov. 115. n. 2. 3. & 4. Bened. Carpzov. L. F. R. S. part.
 2. const. 26. def. 2. n. 6. Pactum prætorium dicitur, quia huic
 pacto edictum prætoris adsistit, L. 1. ff. de Constit. pec. sicut
 pactum legitimum dicitur, cui Lex, Scutum aut constitutio
 adsistit, L. legitima. 6. ff. de pact. Cum verò hoc longè diver-
 sum sit à Constituto Possessorio, relicto illo, de hoc theses se-
 quentes amicæ disquisitioni subjiciemus.

V.

Constitutum possessorium est pactum, cujus
 virtute possidemus, vel detinemus eam rem,
 quam quis alteri vendidit, donavit, aut eti-
 am alio quovis modo concessit.

Quamvis ea pacta quæ edicto prætoris confirmata sunt, uti
 hoc de constituto possessorio ex d. l. 18. ff. de acquir. vel amitt.
 poss. probatur, propriè quidem non sint legitima, tamen non
 malè generaliori vel latiori significatione, etiam legitima ap-
 pellantur, cum eundem effectum habeat, hæcenus edictum
 Prætoris, postquam edicta prætorum, juxta cum Responsis
 prudentum & aliis LL. in unum corpus redacta sunt, & æqua-
 lem auctoritatem à Justiniano acceperunt, ut ita exigua aut
 nulla Prætorii & Juris Civilis super sit differentia Bachov. ad §.
 Prætorum. 7. Inst. de jur. nat. gent. & civil. Et hoc pactum fieri
 posse non obscure colligi potest, ex d. l. Quod meo. 18. ff. de ac-
 quir. vel amitt. poss. Ubi quæritur, An is qui vendidit sive do-
 navit fundum aliquem simul constituere queat, interim ut li-

A 3

ceat

ceat sibi fundum illum ipsius emptoris vel donatarii nomine possidere : Daß er den Acker / welchen er an N. N. verkauft / hinfüro / so lang bis die Kauffgelder erlegt / in des Käuffers Namen wolle besitzen und einhaben / ubi tamen notandum, quod vox possidere improprie hic sumatur, pro eo scil. qui in possessione est, neque sibi vel suo, sed alieno nomine rei insistant *L. possessio. 49. §. Qui aliena. 1. & d. l. 18. pr. & §. 1. ff. de acquir. vel amitt. poss.* ut Procuratores, Tutores, Curatores, *l. 1. §. per Procuratorem. 20. & d. l. 8. ff. eod. Coloni, Inquilini, l. si colonus 31. eod. & L. Nunquam. 31. §. 3. ff. de Usurpat. & Usucap. §. possidere. 5. Inst. de Interdict.* Et hi potius & verius in possessione esse dicuntur, quam ut revera possideant, *L. si quis. 10. §. Idem Pomponius. 1. ff. de acquir. vel amitt. poss. d. §. 5. Inst. de Interdict.* Quibus etiam addi potest Constituens, qui proprie non possidet, sed solummodo in possessione est, quomodo proprie loquendo, illi per quos possidemus in possessione esse dicuntur, *d. §. 5.* Et revera subtiliter & penè contradictorie dicitur, quod quis alieno nomine possideat, quem constat non possidere, juxta *Bachov. ad d. §. 5. Inst. de Interdict.*

V I.

Inter præcipuas verò leges, unde Constitutum possessorium potest probari primò omnium sese offert, *L. Quod meo. 18. pr. ff. de acquir. vel amitt. poss.* quo loco etiam Interpretes & Doctores de hoc Constituto Possessorio plerumque agunt. Ubi inquit Jurisconsultus Celsus, *Quod meo nomine possideo,*



deo, possum alieno nomine possidere, nec enim
muto mihi causam possessionis, sed desino
possidere, & alium possessorem ministerio
meo facio: nec idem est, possidere, & alieno
nomine possidere. Nam possidet is, cujus no-
mine possidetur. Procurator aliena possessio-
ni praeostat ministerium.

Unde satis manifestò patet, quod de Constituyente & Con-
stituto possessorio in hac L. 18. agatur. Nec est quod moveat
nos ratio Giphanii, qui ad d. l. 18. n. 2. de acquir. vel amitt. poss.
& ad L. 10. ff. de donat. n. 10. affirmare non erubescit, Consti-
tutum hoc possessorium esse merum Glossographorum fi-
gmentum & Jure Civili plane incognitum. I. Quod nullum
ejus in jure vestigium appareat & d. l. 18. principium facile in-
telligi possit de aliis modis, quibus alieno nomine possidere
dicimur, ita L. Quaedam. 77. ff. de Rei vind. & L. Quamvis. 32. §.
1. ff. de acquir. vel amitt. poss. aperte loquuntur de re donata
& vendita ab emptore mox conducta. Item L. Quisquis. 28.
C. de donat. de retentione ususfr. rei vel donatae vel in dotem
datae vel etiam venditae; Sed Resp. Concedamus hoc Giphania-
no constitutum hoc, quoad nomen ex ipso textu probari
haud posse, inde tamen non sequitur, non potest quo ad i-
psum nomen ex textu probari, E. omninò non est; tum etiam
ex principiis juris manifestum, quod omnis lex constet scri-
pto sive verbis, sententia & ratione, cum autem prior sit atque
potentior, quam vox mens dicentis L. labeo 7. §. fin. de supellect.
leg. 1. 3. ff. de reb. dub. & L. 67. ff. de Reg. Jur. ad sententiam legis
semper aciem mentis convertere, atque ubi eam pervideri-
mus



mus. de verbis securi esse jubemur, *l. 17. & l. contra legem. 29. ff. de LL. & L. 5. C. eod. L. Nominis 6. §. 1. ff. de V. S.* Jam verò ex mente *d. l. 18. pr.* hoc Constitutum possessorium sufficienter probari potest. Nec hic modus aliquid probandi ex mente & sententia legis infrequens in jure est, quia etiam distinctio ususfructus in causalem & formalem, item domini pleni & minus pleni, directi & utilis ex nulla lege, quoad ipsa verba probari potest, interim tamen ex sententia & mente legum hæc distinctiones probantur, *vid. Dn. D. Hahn. in obs. ad Wes. part. 1. tit. Si ag. vect. n. 1. & tr. de Jur. Rer. concl. 39.* Et licet nobis aliàs docendi gratia uti etiam terminis & verbis, quæ leges ignorant, modò res ipsa subjecta demonstretur *Bachov. ad pr. Instit. de V. S. fr.* & decisa etiam dicitur quæstio in Jure Civili non solum ea, quæ verbis expressis est definita, sed etiam quæ ex ratione Juris Civilis, per bonam consequentiam inde determinari potest, *Carpzov. Synops. Jur. Feud. disp. 1. thes. 18.* Venditorem verò pacisci posse, ut sibi liberum sit fundum venditum emptoris nomine possidere, patet ex textu diserto in *d. l. 18.* ubi dicitur; *Quod meo nomine possideo possum alieno nomine possidere:* hoc tamen non ita simpliciter intelligendum, veluti quod meo nomine possideo, idem alieno nomine possidere possum, sed secundum quid, & cum restrictione aliqua sunt accipienda verba, *d. l. 18.* Quod meo nomine possideo, & desino possidere, incipere possum alieno nomine possidere, si scil. propterea accesserit pactum vel conventio, quæ legem dat contractui, *l. juris gentium. 7. §. 5. vers. ut puta. ff. de pact.* Uti etiam apertius ex ipso casu *d. l. 18.* colligitur; Nec huic officit quod vulgo dicitur, neminem sibi ipsi causam possessionis mutare posse, *L. possideri. 3. §. Illud quoque. 19. L. Qui bona. 19. §. 1. ff. de*

1. ff. de acquir. vel amitt. poss. l. Non solum. 33. §. 1. ff. de Vsurpat.
 l. 2. §. 1. ff. pro hered. l. 23. C. locat. l. 5. C. de acquir. poss. ubi Cujac. e.
 g. Quijam pro donato possidet, absque ullo actu sive conven-
 tione non potest facere, ut pro emptore possideat, ubi notan-
 dum, quod causa ibi generaliter ponatur pro titulo, d. l. posside-
 ri. 3. §. 4. ff. de acquir. vel amitt. posses. l. 32. ff. de rebus auth. Ind.
 poss. Quia non muto ipse mihi causam possessionis, quod nec
 possem, quia non retineo possessionem, sed desino possidere,
 & alium possessorem ministerio meo facio, longè verò aliud
 est possidere simpliciter, aliud possidere alieno nomine vid.
 Cujac. ad d. l. 18. Nec sibi causam possessionis mutat, qui planè
 possidere desinit, d. l. 18. pr. nemo enim nuda sua destinatione
 efficere potest, ut ex alia causa possideat, quam ex qua se possi-
 dere scit, & aliud est ipsum sibi non mutare, aliud sibi non mu-
 tari, & nullibi negatur alicui possessionis causam mutari posse;
 præterea is possidet, cujus nomine possidetur, d. l. 3. §. 20. &
 d. l. 18. pr. ff. de acquir. vel amitt. poss. Sic procurator alienæ
 possessioni præstat ministerium, & hac ipsa constitutione
 transfertur possessio, per fictum tradendi modum. Neque re-
 fragatur huic opinioni, quod secundo movet, Giphon. ad d. l. 10
 ff. de donat. num. 13. In omni transferendæ possessionis modo,
 præter animum & affectum opus esse aliquo actu corporeo,
 ex l. 3. §. 1. & 3. ff. de acquir. vel amitt. poss. nec pactis & transa-
 ctionibus transferri rerum dominia, l. 20. C. de pact. sed tum
 demum cum secuta sit traditio naturæ harum rerum conve-
 niens, l. fin. ff. de serv. l. 1. §. fin. de serv. præd. rust. l. si ego. 11. §. si de
 usufr. 1. ff. de publ. in rem act. Pactiones titulos esse & causas ad-
 quirendi domini remotiores, modum acquirendi, & cau-
 sam proximam esse traditionem §. per traditionem. 40. In-
 stit. de rer. divis. l. 3. ff. de Oblig. & Act. Verum salva tanti

B

Jcti

Jcti auctoritate reponimus, hoc novum in jure non esse, quia sapius continuò etiam sine ullo facto externo res adeoque possessio communicatur, ut fit in societate vocaturque tacita traditio, per *l. 1. §. in societate. & l. Quia. 2. ff. pro socio. ibique Gothofr. in not. lit. p. & q. & l. 28. C. de donat.* Neque ut in una quaque apprehensione, novus actus respectu animi intervenire debet, ita etiam semper opus est, ut corporalis apprehensio denuo interveniat, quia & aliàs apprehensio corporalis, quàm procurator meo nomine facit, mihi adeò prodest, ut neque ego, neque ille, de novo corporaliter rem apprehendere necessarium habeamus, *Ampliss. Dn. D. Habn. in observ. ad Wesenb. part. 2. ad tit. de acquir. vel amitt. poss. n. 8. vers. se constituat*, Et interdum quod deest naturali possessioni id animus implet, uti loquitur *Jctus Paulus in l. 3. §. 3. ff. de acquir. vel amitt. possess. junct. l. 21. §. 1. ff. de acquirend. rerum domin.* Nec enim corpore & actu necesse est apprehendere possessionem, sed etiam oculis & affectu *per text. express. in l. 1. §. 21. ff. de acquir. vel amitt. poss.* Et quod dicitur *in l. Quemadmodum. 8. ff. eod.* Quod possessio corpore & animo simul acquiratur, illud ita limitandum, ut non semper manuum aut pedum opera ad hoc sit necessaria, sed subtiliori etiam ratione acquiratur possessio, uti probatur *ex d. l. 1. §. 21. & l. 18. §. 2. l. 51. ff. de acquir. vel amitt. poss.* Sic etiam quod *Jctus in d. l. 51. de acq. vel amitt. poss.* animo acquiri eo casu possessionem dicit, non simpliciter excluditur opera corporis, sed dicitur oppositivè ad apprehensionem crassiorem, quæ fit manuum opera aut pedum, & est adeò fallacia ambiguitatis in phrasi *animo acquiri possessionem*, quæ eadem deprehenditur *in d. l. 1. §. 21. ff. de acquir. vel amitt. poss. Bachov. ad §. possidere. Inst. de interd.* Nec etiam obstat, quod tertio obijcit *Giphan. d. l. fictam & civilem translationem possessionis requirere aliquid sup-
plens*

plens naturalem traditionem, Resp. enim i. possessionem e-
 tiam nudâ tantum voluntate, & absque ullo actu externo vel
 corporeo transferri, ostendunt & probant textus expressi in l.
si ve autem. 9. §. 1. & 2. ff. de publ. in rem act. & in §. interd. 43. Inst.
de rer. div. Ubi sine traditione nuda voluntate domini trans-
 fertur res ad alium: veluti *Si rem quam tibi aliquis commoda-*
verit, aut locaverit, aut apud te deposuerit, postea aut vendide-
rit tibi, aut donaverit, aut dotis nomine dederit. Quamvis e-
nim ex ea causa tibi eam non tradiderit, eo tamen ipso, quod pa-
titur tuam esse, statim tibi acquiritur proprietate, perinde ac si eo
nomine tibi tradita fuisset. junct. L. Qua ratione. 9. §. inter-
dum. 5. ff. de acquir. rer. dom. Nam si hoc casu dominus domi-
 nium transfert, necesse est, ut si dominus non sit, qui rem com-
 modatam postea vendidit usucapionis conditio, & sic quoque
 possessio transferatur, §. *ex his. 5. Inst. per quas. person. l. 74. ff. de*
contr. empt. Hillig. in Don. enucl. l. 5. c. 9. lit. F. Ferrar. in prax. aur.
tit. 4. gl. 20. n. 21. in f. Et creditur res apud me deposita vel mi-
 hi commodata, restituta Domino, mox mihi ex causa donati-
 onis vel venditionis tradita: Quod ita finxerunt Jcti ne am-
 bagibus & pluribus actibus esset opus. Quam fictionem in-
 tervenire illud argumento est, quod res jam ex alia causa penes
 me esse incipit, & ego jam veram habeo possessionem, quæ an-
 tea magis apud commodantem & deponentem erat, quia ex
 his causis possessio non transfertur, l. *licet. 17. §. 1. ff. de pos. l. 3. §.*
20. ff. de acq. vel am. poss. & hoc etiam confirmatur per l. si pigno-
re 22. §. 3. l. si rem. 29. l. cum & 35. in fin. l. si pignus 37. ff. de pign. act.
l. qui pignoris 36. & l. res pignoris 37. ff. de adq. vel am. poss. l. C. §.
mlt. ff. de prec. l. non solum. 33. §. fin. ff. de usuc. l. secundum 15. §. 2. ff.
quis satisd. cog. Ubi debitor qui conducit pignus à creditore eo
 ipso possessionem, quam habet amittit & alieno nomine possi-
 dere incipit. Eoq; non possidet d. l. *quod meo. 18. & in l. seq. pr. ff.*



de adq. vel am. poss. l. quad. 77. ff. de rei vind. sed tantum in possessione est, neq. sibi vel suo, sed alieno nomine rei insistit, *l. 49 §. 1. l. 31. ff. de acq. vel am. poss. 2.* Etiam textus adducti à Giphanio non loquuntur in terminis constituti possessorii, quando quis possessionem acquirit, si alter qui rem tenet & possidet, ipsius nomine se possidere constituat: neque enim ita procurator intervenit pro me, sed ego ipse possessionem ita mihi adquireo, per hunc modum fictæ traditionis, jure receptum & propositum *in d. l. 18.* Et hic præter nudam voluntatem, quoque adesse traditionem & actum corporeum saltem fictum, & legis potestate approbatum, idem operans & veram possessionem producens, concedit & probat *Zas. in d. l. 18. pr. ff. de acq. vel am. poss. n. 12.* Quemadmodum n. in retentione ususfructus, conductione, precarii acceptione, fingitur res brevi manu tradita & à priore possessore recepta utenda fruenda, celeritate conjungendorum extremorum, occultato medio, *l. 3. §. pen. ff. de don. int. vir. & uxor. Cuj. l. 19. obs. 18. Hillig. in Donell. enucl. lib. 5. c. 10. lit. A.* ita & hic quando donaturus simpliciter constituit, fingi potest tradidisse rem donatario ac ab eo recepisse, ut possessionem ejus servaret; & hunc esse modum transferendæ possessionis, quando non per liberos nostros, non per servos, non denique per procuratores, per quas acquirimus possessionem; veluti qui rem aliquam, retento sibi usufructu, nobis donant, qui rem suam à nobis conducunt, & omninò qui nostro nomine se possidere constituunt. *d. l. Quod meo. 18. in pr. ff. de acquir. vel amitt. poss. l. Quisquis. 28. C. de donat. l. quadam. 77. ff. de rei vind. probat Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 21. thes. 3. lit. F.* Quamvis hoc non fiat à certo genere personarum, sed ab omnibus, & sit modus quidam singularis apprehendendi possessionem, quod scilicet hi ita constituentes, hoc ipso rem illam nobis tradere intelligantur, ut videre est *ex d. l. 28. C. de donat. Bachov. d. loc.*

Con-



V I I.

Constitutum igitur possessorium ficto tradendi modo expeditur, ut cum is qui suo nomine possidebat, constituit se nostro nomine possidere.

Textum expressum suppeditat d.l. 18. ff. de acquir. vel amitt. poss. ubi pro apprehensione est constituentis ministerium, eiusque corpore apprehendere censemur. Cum verò hæc intricatiora sint, latioremq; explicationem desiderare videantur, eam ex traditionum materia paulo altius repetemus. Traditio est actus, quo in aliquem ab altero quid transfertur. Consideratur vel activè, ratione tradentis, vel passivè, ratione accipientis, cui traditur. Traditur autem quid i. vel purè vel sub conditione, qua non nisi existente traditio cum effectu facta intelligitur, per l. qui absentis. 38. §. si quis. i. ff. de acquir. vel amitt. posses. vel ex tempore, ut ex qua certior factus sit is, cui epistola possessio traditur, arg. d.l. Qui absentis 38. pr. vel ad tempus, si quis ea mente possessionem tradat, ut sibi postea restituatur per text. in l. si quis vi. 17. §. differentia. i. ff. eod. 2. Traditio fit vel nobis ipsis vel nostro nomine aliis l. i. §. si jussurim. 21. & l. si me. 34. §. sed si non. i. ff. eod. similiter traditio fit vel à tradente ipso, vel ejus nomine ab alio, §. nihil autem interest. 42. Inst. de rer. divis. l. fundi venditor. 33. ff. de acq. vel amitt. poss. l. sed si. 18. §. i. ff. de contrah. empt. si fit ab alio æstimanda est ex mente illius, cujus nomine traditur, arg. d.l. 18. §. i. ff. de contrah. empt. De modis traditionum apprime notandum est, dari in jure duplices actus tradendi, nimirum veros & fictos, uti plurib⁹ illud docet, Bachov. ad §. interdum 43. Inst. de rer. div. Unde vera &






fiſta traditio, quæ & quaſi traditio vocatur, & per hanc fiſtam traditionem non minus, quam per veram transferri dominium patet exemplis allatis *in d. ſ. interdum. 44. & ex l. 3. ſ. ſed quia C. commun. de legat.* Actus porrò tradendi veri & fiſti tales dicuntur tripliciter: 1. Veri, ratione perſonæ, ut cum traditio fit ab ipſo tradente, vel fit ipſi illi, cui tradendum. 2. Ratione actus, quando nimirum actus aliquis externus intervenit, ut ſunt demonſtratio rei, traditio clavium. 3. Ratione rei tradendæ, quando tradens rem ipſam tradit. Fiſti tradendi actus itidem dicuntur tripliciter: 1. Ratione perſonæ, cum fit tradentis nomine ab alio, aut alii noſtro nomine & juffu ejus, cui tradendum; veluti cum debitor creditoris ſui creditori, juffu ejus nummos ſolvit, quo caſu priori creditori & fiſtè traditur à debitore, & idem creditor fiſtè tradit ſuo creditori, quod dicitur brevi manu fieri, *L. licet ſoleat. 43. ſ. 1. ff. de jur. dot. l. 3. ſ. pen. & ult. de donat. int. vir. & uxor. & ſ. interdum. 43. Inſt. de rer. diviſ. ibique Bachov.* 2. Ratione actus, in quibus nullus planè actus externus ex parte tradentis intervenit, quales ſunt tradentis voluntas *ſ. 43. Inſt. de rer. div. junct. l. 9. ſ. 1. ff. de publ. in rem act. l. 62. ff. de evict. ſcientia & patientia alterum rem tradendam poſſidere l. 2. C. de acqu. & retin. poſſ.* ſic eodem modo conſtituitur ſervitus realis ſola promiſſione purè ſcil. facta, per patientiam, quæ non poteſt non eſſe in promittente, & hic eſt loco traditionis *l. ſi ego emi. 11. ſ. 1. ff. de dubl. in rem act. l. 1. in fin. ff. de ſervit. l. 3. ff. de uſufruct.* abſque ullo externo traditionis actu, & ſi contra placita faciat promiſſor, nulla opus eſt actione perſonali ut præſtetur, ſed directo competit vindictio, *ex l. ſervitutes. 4. ff. de ſervit.* cum in his ſervitutibus, præſertim negativis, v. g. ſi promiſero tibi me non ſublaturum altius ædes, non offecturum luminibus tuis, item ut projectum
habeas,

habeas, nihil possideat, qui promittit, quod tradere possit, *vid.*
Dn. D. Hahn. in observat. ad Vvesenb. ad tit. de servitut. num. 5.
 3. Ratione rei tradendæ, quibus tradens non rem tradit, sed ali-
 quid facit, quod juris effectu idem est, ac si rem ipsam vel pos-
 sessionem ejus tradidisset, ut est rei tradendæ demonstratio, *l.*
Quod meo. 18. §. 2. ff. de acquir. vel amitt. poss. aut ejus nostro in
 conspectu positio, & ita quoddammodo longa manu tradi
 dicitur, *l. pecuniam. 79. ff. de solut.* vel domi nostræ depositio,
d. l. 18. §. 2. aut signi pro re signata traditio, ut cum traduntur
 claves ad locum, ubi re tradendæ reconditæ sunt, quod apud
 dictum locum fieri debet, *l. Clavibus. 74. ff. de contrah. empt. l.*
1. §. si jufferim. §. 21. ff. de acquir. vel amitt. poss. vel traditur scri-
 ptura & instrumentum, quod de titulo & jure, quo res ad tra-
 dentem pertinet confectum est, *l. emptio. 1. C. de donat.*
 plura hac de re vide apud *Eudov. Molinam Tract. de just. & jur.*
disp. 13. num. 9. 10. Bachov. ad §. interdum. 43. Instit. de rer. div.
 Hinc jam constare puto, qua ratione Constitutum Possessori-
 um per fictum tradendi modum perficiatur, eo ipso enim,
 quod alieno nomine possidemus, etiam ministerio nostro a-
 lium possessorem facimus sive recognoscimus, idque non
 quidem à priori, ac si contractus præcedens constitutum, sit
 modus ille transferendæ possessionis, sed à posteriori dunta-
 xat & ratione Constituti Possessorii, per quod transfertur pos-
 sessio; qui modus transferendi domini vel titulus, necessa-
 riò semper præcedere debet, & hæc causa vel titulus debet esse
 justus, utilis, validus & efficax, alias non transfertur possessio
 per Constitutum in eo appositum, sed necessaria est realis tra-
 ditio *Gl. in d. l. Quod meo 18. pr. dig. de acq. vel am. poss. Tiraq.*
d. tr. part. 3. lin. 6. & 7. per tot. nam si nullus omnino vel titulus,
 vel causa præcederet, sed fieret ipsum constitutum possessorii-
 um



um per se & nullo alii contractui, vel modo habili ad transferendum dominium accedens, id certe esset inefficax & inutile. Constitutum enim sine titulo vel causa, non est titulus, sed quaedam executio, ut dicit *Bald. in rubr. X. de prescript. col. 3. vers. ulterius quæro. An per constitutionem Gl. in d. l. 18. Zas. in d. l. 18. de acq. vel amitt. poss. n. 8. Tiraq. dict. tr. de constit. possess.* Modus verò vel titulus, ut iam dictum, hic requiritur habilis ad transferendum dominium, ut venditio vel donatio vel alius huiusmodi concedendi modus, V. C. qui vendidit, licet ipso actu rem non tradat, eo tamen ipso, quando constituit, deponit illum animum habendi, atque ita possessor esse desinit, quantumlibet ea in re versetur vel degat; Confirmatur hac sententia, exinde, quod quamvis traditio clavium etiam transferat possessionem per *text. in l. clavibus. ff. de contrah. empt. ibique Gl. & Dd.* & hanc traditionem inter fictos modos transferendi possessionem referri indubitatum est, semper tamen hoc intelligendum, si præcesserit causa vel titulus, ex quo potest transferri possessio, alias enim sine titulo claves traditæ censentur, non ad transferendam possessionem, sed custodiæ causa, arg. *l. cum pater. 77. §. 21. ff. de legat. 2. Bach. ad §. interdum. 43. Instit. de rer. divis. Tiraq. part. 3. lim. 6. n. 3. & 4.* Sed his contrariari videtur, quod tradit *Tiraq. part. 2. amp. 1. n. 7. d. tract.* vix probabile esse, ut ex ficto actu traditionis vera ac propria possessio transferatur; Nam quomodo quod fictum est, operari & producere potest verum & proprium effectum, vel quod idem est, fictum dari rem non fictam, contra *l. traditio 20. ff. de de acqu. rer. dom.* verum Resp. fictam quam & quasi traditionem appellamus, non minus, quam veram traditionem dominii translationem operari, & hoc generale esse in omnibus fictis traditionibus, ut per illas verum dominium transferatur, in



in terminis docet *l. certè. §. 2. ff. de precar. l. Quod meo. 18. de acquir. vel amitt. possess.* In quibus verbis notandum, quod dicitur *Possidet*, quod est verbum veritatis, non autem dicitur possidere videtur. Nam is possidet, inquit textus *in d. l. 18.* cujus nomine possidetur, ergo est vera, & *in d. l. 6. §. 2.* dicitur, quod procurator meus precariò rogat, ego proprie dicor possidere, *Zaf. in d. l. 18. n. 11.* & hoc manifestum est ex exemplis allatis *in §. interdum 43. Inst. de rer. div.* operatur idem & ficta traditio in re empta per tutorem aut curatorem pecunia pupillari vel minoris, etiamsi res ejus nomine non sit empta *per l. 5. ff. de admin. tutel. l. 4. C. arbitr. tutel.* tenentur n. tutores & curatores ex necessitate officii, pecunias minorum convertere in emptionem prædiorum, *d. l. 5. ff. de admin. tutel.* Quod etiam obtinet in re empta pecunia Ecclesiæ, *l. fin. C. de sacros. Eccles.* Rationem cur fictæ traditioni, effectus veræ traditionis in jure tribuatur, hanc assignat Bach. ut tanto expeditior esset commerciorum ratio, *Bachov. ad d. §. interdum 43. Inst. de rer. div.*

V I I I.

Cum verò simpliciter, vel cum quodam adjecto, hoc Constitutum Possessorium intervenire possit, inde aliud dicitur simplex, aliud conjunctum.

I X.

Simplex illud dicitur, quando constituens absque ullo adjuncto, Constitutarii nomine, se velle imposterum possidere, ita tamen ut

C

semper

semper modus habilis transferendi domi-
nii præcedat, simpliciter constituit.

Ex hoc simplici constituto transfertur omnimoda possessio, tam civilis quam naturalis in Constitutarium, nihil remanente penes constituentem, præter nudam & simplicem detentionem, *d. l. 18. ff. de acquir. vel amitt. poss. Pont. de spol. lib. 2. c. 14. n. 109. Surd. cons. 481. n. 6. lib. 4. Gratian. Discept. Forens. cap. 954. n. 2. Rot. divers. decis. 157. sub n. 1. Thomat. decis. 15. n. 2. decis. 30. num. 7.* addita tamen hac limitatione, nisi aliter fuerit conventum inter contrahentes, ut scilicet ex precario utraque possessio transeat in Constitutarium, vel ex simplici Constituto altera tantum, vel quod etiam nulla ex utroque transeat, id enim fieri posse ex *Bart. & F. Aret. multis refert & probat Tirac. part. 3. n. 5. & Gloss. in l. & habet 15. §. eum qui ff. de precar. Cum & alias in simili nulla in creditorem transeat possessio, cum id à partibus expressè conventum est, *Gl. in l. servus 6. ibid. Bald. qui eam annotat. C. quod cum eo. Ioh. Petr. de Ferrar. in prax. aur. in Form. lib. in Act. Hypoth. tit. 43. n. 34. Bart. in l. creditores. in 2. q. pr. C. de pign.* Nec subsistere potest opinio illorum qui existimant, quod ex simplici Constituto civilis & naturalis possessio transferatur, illud tum demum verum esse, quando Constituens tempore Constituti est in fundo, ita ut illum civiliter & naturaliter possideat, at si in fundo non esset, ita ut civiliter tantum illum possideat, *l. clam possidere. 6. §. qui ad nundinas. ff. de acquir. vel amitt. poss.* secus hoc sese habere & civilem tantum transferre possessionem, quam tum temporis habebat, non etiam naturalem quam non habebat *l. 30. §. 5. ff. de acquir. possess.* cum nemo plus juris in alium transferre possit, quam ipse habet *l. nemo 54. ff. de Reg. Iur. l. nemo. 120. l. aliud**



l. aliud est. 160. §. fin. l. in his. 175. §. 1. eod. Tiraq. part. 1. n. 13. de Iur. Constit. Poss. & alia traditio ejus rei quam non possidemus, à nobis fieri nequeat l. traditio. 20. ff. de acquir. rer. domin. Uti enim nec verè tradere potest, qui non habet, ita nec fictè quoque potest, l. si filius familias. 14. l. si socius. 16. ff. si cert. pet. l. liber homo. ff. de stip. serv. & l. lectio. §. his. ff. de noxal act. Quia hic tantum requiritur, ut constituens eo tempore verè & suo nomine possideat, arg. l. quamvis. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. poss. & d. l. 18. ff. eod. Card. Tusc. in verb. Constitutum concl. 78. n. 44. & in verb. possessio. concl. 406. n. 46. & 57. Valasc. consult. 196 n. II. tom. 2. Thomat. decis. 15. n. 21. decis. 35. n. 33. & decis. 96. n. 41. Ioh. Franc. Ripa à Sanct. Nazario in c. cum Ecclesia Sutrina. n. 61. de caus. poss. & proprietat. nec inest, utrum constituens tempore constituti civiliter an naturaliter, an corpore vel sine corpore possideat, arg. l. 77. ff. de rei vindic. & in princip. d. l. Quod meo. l. 18. ff. de acquir. vel amitt. poss. ubi sine distinctione dicitur, quod meo nomine possideo, possum alieno nomine possidere, possidemus autem, non modo corpore, sed etiam animo tantum, ubi possessionem semel acquisivimus, cum possessio jam acquisita sit jus insistendi, quod factò semper opus non habet. Et actus qui à principio intervenit, cum ipse constituens primum apprehendit possessionem, per se sufficit, ut tunc constituens transferat possessionem, uti ex Bart. refert Tiraq. part. 2. ampl. 21. num. 2. & ampl. 4. n. 1. d. tract. Zas. ad d. l. 18. n. 6. vers. hoc primum requisitum: & possessio ita acquisita, non solum corpore & animo, verum etiam solo animo retinetur, si modo vel vacua maneat res, vel occupata nobis ignorantibus, vel scientibus quidem, sed ita tamen, ut putemus celsurum nobis, qui occupavit, vel nos eum facile exclusuros esse, l. si id quod. 25. §. fin. ff. de acquir. vel amitt. poss. Ampliss.



pliff. Dn. D. Hahn in observat. ad Vvesenb. dict. tit. n. 3. verb. so-
lus animus. unde jam patescit, ad hoc, ut per constitutum pos-
sessorium possessio naturalis transferatur, non requiri, ut fiat
in re presentia, & quod constituens debeat esse in fundo, cuius
possessionem naturalem transferre vult: Quo etiam inclinatur
Ioh. Petr. de Ferrar. in prax. aur. tit. 5. gloss. 15. n. 5. & 6. Qui di-
stinctionem illam, an res sit in presentia, vel non, plane rejicit,
& tam de re presentia quam absentia intervenire statuit, modo
venditor tunc temporis verè & suo nomine possideat, quod
necessario probandum, ut traditur in d. l. 18. ff. de acquir. vel a-
mitt. & in c. cum venisset. in fin. X. de restit. spol. & in l. quadam
mulier. 77. ff. de rei vind. Decius in cons. 247. n. 3. vers. 4. Cra-
vett. cons. 890. n. 4. Quia corpus & animus ipsius constituen-
tis, fingitur idem corpus & animus illius, cuius nomine se con-
stituit possidere, arg. l. ea quæ civiliter 53. ff. de acquir. rer. dom.
Unde ipse emptor representatus per corpus & animum ven-
ditoris dicitur & fingitur, possessionem ingredi & adipisci, Ioh.
Petr. de Ferrar. d. loc. Verior tamen nobis videtur illorum o-
pinio, qui volunt, ut res de qua fit constitutum, non debeat
precisè esse presentia, & in utriusque, tam constituentis quam
constitutarii conspectu, sed absens, cum ad rei presentia trans-
lationem sufficere possit vel solus aspectus, l. 1. §. 21. ff. de acquir.
vel amitt. poss. vel rei tradendæ demonstratio, d. l. 18. §. si ven-
ditorem. 2. ff. eod. vel domi nostræ depositio, d. l. 18. §. 2. ff. eod.
vel signi pro re signata traditio, ut cum traduntur claves ad lo-
cum, ubi res tradendæ reconditæ sunt, quod apud dictum lo-
cum fieri debet, l. clavibus 74. ff. de contrah. empt. d. l. 1. §. 21. ff. de
acquir. vel amitt. poss. cui opinioni & ipse Tiraquell. subscri-
bere videtur, quando ampl. 3. n. 1. & 2. statuit, quod non pro-
betur traditio possessionis, nisi interveniat actus constituti vel
nisi



nili fiat in re præfenti, *Ioh. Petr. de Ferrar. in tit. form. posit. act. 5. Gloss. 1. n. 6. Tiraq. part 3. lim. 23. in f. d. tract. apertè innuens, alterum fufficere, & hoc omnes videntur voluiffe, dum fim- pliciter dicunt, per conftitutum transferri poffeffionem, nulla præfentiæ aut confpectus rei mentione facta; Et per instru- mentum habens hujusmodi claufulam conftituti, probatur poffeffio, inter contrahentes absque alia probatione, *Pont. de spol. lib. 2. cap. 14. n. 109. & 110. Bocat. de interd. uti poffide- tis. cap. 14. n. 6. Mascard. de probat. in verb. conftitutum. conclus. 422. Menoch. conf. 704. n. 30. Tusc. in verb. poffeffio. Concl. 424. n. 3. A Egid. Thomat. decis. 13. n. 3. decis. 30. n. 10. Ludov. Postius tract. de mand. manuten. obs. 20. n. 4. Quia alias hac claufula Conftituti five Precarii, femper effet fupervacanea & inutilis, nihilque omninò operaretur, nifi id operetur fine rei confpe- ctu vel præfentia; Nam ea fola præfentia rei cum contractus perficitur, id operatur, ut poffeffio tradita cenfeatur, *l. 1. §. fi iuf- ferim. 21. ff. de acquir. vel amitt. poffeff. & d. l. 18. §. fi vendito- rem. 2. ff. eod. Gloss. & Dd. in l. 3. pr. eod. & in c. 2. X. de confuet. In quibus duobus locis poftremis, enumerantes modos fictos transferendæ poffeffionis, hos veluti differentes ponunt, fcil. Conftitutum five Precarium, & confpectum five præfentiam rei, *Bart. Ang. & Salycet. in l. 1. C. de acquir. vel amitt. poff. Ti- raq. diet. tract. ampl. 3. n. 2.****

X.

Conftitutum poffefforium conjunctum illud dicitur, quod fit, vel cum conductione rei fuæ, vel cum retentione ufusfructus, vel cum precario.

C 3

Con-

Constitutum possessorium *cum conductione rei suae* conjunctum, fit, quando in ipso contractu venditor aut donator rem venditam vel donatam, titulo locationis accipit: quia eo casu possidet nomine emptoris aut ejus cui donat, *d. l. 18. pr. ff. de ac. vel am. poss.* & possessio transfertur, ac si res verè esset tradita, *l. quaedam mulier 77. ff. de rei vind. l. interd. 21. ff. de acq. vel am. p.* Quæ sententia generalis est, & quoties in contractu venditor constituit se nomine emptoris possidere, per hoc constitutum vera possessio acquiritur, licet modò acquirendi sit fictus, ut notat Bart. in *l. ab emptione, circ. fin. v. ultimo ad vertas. ff. de pact.* & probatur in *l. certè. §. 1. ibi: propriè habere dicor. ff. de precar.* Bart. in *l. si quis pro emptore. ff. de usuc. Decius ad l. contractus. 23. ff. de R. Jur. n. 15.* Ægid. Thomat. *dec. 15. n. 1.* Postius *d. tr. obs. 20. n. 11.* Carpz. *I. F. R. S. part. 2. const. 33. def. 15. n. 2.* Cum retentione *V. sus fructus* fit Constitutum Possessorium, quando venditor aut donator usumfructum ejus rei, per pactum sive constitutum, retinet, etiam si stipulatus non fuerit, eam tamen continuo tradidisse creditur, nec quid amplius requiritur, quo magis videatur facta traditio: sed omnimodo idem sit in his causis usumfructum retinere, quod tradere, per *text. express. in l. quisquis. 28. & in l. si quis argentum. pen. §. sed si quidem. §. C. de don.* Mascard. *de Prob. verb. Possessio. concl. 1189. n. 1.* Post. *d. tr. obs. 20. n. 54. & 55.* Cum Precario denique fit Constitutum Possessorium, quando aliquis fundum vendendo, ejusque possessionem per constitutum tradendo, à constitutario rogat, ut liceat sibi precario possidere, per *text. in l. interdum. 21. princip. & §. qui alienam. 3. ff. de acquir. vel amitt. poss. junct. l. 4. §. 1. & l. 15. §. 4. ff. de precar.* Ex hoc Constituto Possessorio, quod fit cum precario, civilis tantum transfertur possessio in Constitutarium, non naturalis, Ferrar. *in prax. aur. tit. 5. gl. 15. n. 6. Tir. part. 1. n. 4.* Postius *d. l. n. 55.* Is enim qui precario possidet, tantum naturaliter



raliter possidet, transeunte interim civili possessione, ad illum, qui precarium concessit, *l. & habet summam. 15. §. eum qui. 4. ff. de precar.* Quia is, qui precario possidet, is suo jure, scil. traditæ possessionis, rem sibi habet, *l. si servus. 22. §. 1. ff. de Noxal. Act.* Eoque nomine interdicto, uti possidetis, aliisque remediis possessorii utitur *l. 1. §. fin. ff. uti possid. l. qui precar. 17. ff. de precar.* non tamen contra dominum, qui precarium concessit, *d. l. 17. in fin.* Occasione hujus materiæ lubet jam paucis proponere decantatam illam & quotidie occurrentem controversiam: An debitor, qui creditori suo omnia sua bona obligavit, ut quotidie fit in instrumentis, quæ bona ejus nomine constituit se possidere & tenere, deinde ipse debitor, unam ex rebus obligatis vendidit cuidam alteri, quam rem ipsius nomine constituit se tenere & possidere, in hunc emptorem transferat dominium vel usucapiendæ conditionem? Quam controversiam exactius & paulo accuratius repetentibus, animadvertere licet, tres de illa existere Dd. opiniones: Quarum prima negat transferri dominium vel usucapiendæ conditionem, Quia ad hoc, ut transeat dominium, si dominus erat, vel usucapiendæ conditio, si dominus non erat, necesse est, ut ipse venditor, qui rem tradidit, sit ipsius rei possessor, *l. traditio. 20. ff. de acquir. rer. dom.* Sed hic venditor non possidebat, sed creditor, per *d. l. quod meo. 18. ff. de acquir. vel amitt. poss. & l. 32. §. 1. ff. eod. l. quadam mulier. 77. ff. de rei vind.* Ergo; Unde non obscurum esse potest, quod debitor eo modo constituens possideat nomine creditoris, & ita nec civilem nec naturalem possessionem transferat, per hoc constitutum in emptorem, arg. *d. l. 20. ff. de acquir. rer. dom. l. nemo. 54. & l. 175. ff. de Reg. Jur.* Alii in contrarium id affirmant, Quia licet possessio, tam civilis quam naturalis, transierit per constitutum in credito-

creditorem, *l. qui pignoris. 36. ff. de acquir. vel amitt. possess. l. si
serui nomine. 16. ff. de usucap.* hoc tamen non aliter intelli-
gendum, quàm quoad effectum debiti conservandi, quoad ef-
fectum verò domini retinendi vel quærendi seu transferendi,
Creditor dicitur possidere debitori, non sibi, *arg. l. cum notissi-
mi. §. sed cum illud. C. de prescript. 30. annor. l. 16. ff. de usucap. l. 3.
§. 5. l. qui pignoris. §. 36. ff. de acquir. vel amitt. possess.* & ideo jux-
ta hanc sententiam debitor alienans transfert dominium, si
dominus est, vel usucapiendi conditionem, si dominus non
est, & per hanc quoq; possessionem, *§. ex his. §. Instit. per quas
person. d. l. 74. ff. de contr. empt. Hillig. in Donell. enucl. lib. 5.
cap. 9. lit. F.* Denique ab his non parum diversi sunt, qui distin-
guunt, An debitor simpliciter constituat, se possidere & tenere
rem obligatam, nomine creditoris, an verò constituat cum
precario; Priori casu statuunt, quod debitor creditorem non
privet sua possessione, rem obligatam alteri vendendo, & ipsi-
us nomine se possidere constituendo. Posteriori verò casu,
quando debitor precario nomine constituit se tenere & possi-
dere à creditore, tunc alienando in dubio privare creditorem
omni possessione, eamque in emptorem transferre, affirmant,
*vid. Imol. Paul. Castrens. & Alexand. in d. l. interdum. 21. §. fin. ff.
de acquir. vel amitt. possess.* Prima opinio plurimum exinde
roboris habet quod & textibus juris apprime conveniat, ne-
que destituatur rationibus. Secundæ hoc imprimis valdè ad-
versatur, quod creditor sibi & suo nomine possideat per debi-
torem se possidere constituentem, debitor verò alieno nomi-
ne, & ita non sibi, sed constitutario possidet, & eo casu, quan-
do precario rogavit, tunc respectu aliorum, vix verò dici
potest, ut etiam respectu illius, qui precarium concessit, pos-
sidet, quatenus scilicet contra precarium concedentem re-
mediis

mediis possessoris uti non potest, *l. qui precario. 17. in fin. ff. de precar.* Nos definituri tandem, quid in tanta difficultate, & inter tot contrarias Dd. opiniones, statuendum, aliorum rationibus posthabitis, statuimus, quamvis constituens cum precario, possideat rem, de qua fit constitutum, jure traditæ possessionis, *l. si servus. 22. §. 1. ff. de Noxal. Act. l. & habet. 15. §. eum qui. 4. ff. de Precar.* eoque nomine interdicto uti possidetis, aliisque remediis possessoris utatur, *l. 1. §. fin. ff. uti possid. l. Qui precario. 17. ff. de Precar.* nihilominus tamen, quia precarium concedens, tantum roganti amico præsumitur concessisse: heres autem accipientis, (tanto minus igitur extraneus quidam) non protinus in amore defuncto respondeat, & amor heredis vel extranei & defuncti diversus sit, precario rogatio ad heredem ejus (neque extraneum) qui precario rogavit non transit, quippe ipsi duntaxat, non etiam heredi concessa possessio est, *l. cum precario. 10. §. fin. ff. de precar.* Et cum hinc satis apertè constet, quod illud jus, quod precario rogans sibi acquirit, sit personale, quod ossibus precarium rogantis inhaeret, *arg. l. 3. C. de Novat.* propterea etiam heredi vel extraneo cedi nequit, *l. si usufructus. 4. in fin. ibi: & hæc eadem dicenda in qualibet obligatione personæ coherenti ff. de Novat.* Ideoque debitor precario nomine à creditore se possidere & tenere constituens, tunc alienando rem obligatam, in dubio creditorem possessione privare non potest, neque eam in emptorem transferre. Dissentiunt variè varii, *vid. Joh. Petr. de Ferrar. in sua prax. aur. in form. resp. rei convent. tit. 4. gl. ff. 20. n. 21 in fin.* ubi dicit, quod debitor, quando precario nomine constituit se tenere & possidere à creditore, tunc alienando in dubio privare creditorem omni possessione, & omnia transferre

D

in

in emptorem, *l. interdum. 21. §. fin. ff. de acquir. vel amitt. possess.* Ioh. Francisc. Ripa à Sanct. Nazario Respons. 4. n. 31. titul. de interdicit. Aliter adhuc distinguit Tiraq. part. 1. n. 13. & part. 3. lim. 14. n. 8. & 9. Quando nimirum debitor constituit se precario tenere & possidere à creditore, tunc possessio civilis aut requiescit in naturali, aut non requiescit in naturali, sed per se stat nec naturali cohæret, & eo casu possessione, debitor alienando rem oppignoratam, creditorem privare non potest, secus verò si civilis requiescat in naturali, ad quorum argumenta quid respondendum, in ipso conflictu videbimus.

X.

Expositis An? quid & quotuplex constitutum possessorium sit, & quomodo per hoc possessio transferatur, ratio instituti jam postulat, ut etiam paucis consideremus personas, quæ constituere possunt.

Notandum hic initio requiri, ut constituens habeat intellectum rei gerendæ, & rerum suarum liberam administrationem, neque alienare prohibitus, *arg. princ. Inst. quib. alien. sic. vel non.* Hinc prohibentur quidam constituere naturâ, quidam lege, natura constituere prohibentur, vel ob defectum facultatis intelligibilis, qui oritur, vel ex ætate vel vitio animi; ob ætatem constituere nequeunt infans & infantia proximus, cum hic deficiat animus in infante, *arg. l. possessio. 1. §. furiosus & §. cæterum. 9. ff. de acquir. vel amitt. possess.* nec ullum intellectum, nec consensum habere intelligatur, neque multum à furioso distet, *vid. §. pupillus. 9. Inst. de inutil. stipul. junct.*

Junct. l. 1. §. 2. ff. de admin. tutor. l. 3. C. qui admitt. ad bon. possess. l. 1. princ. ff. de verb. obligat. Quæ tamen omnia de proximo infantia ita simpliciter non affirmamus, sed lubentes confitemur, quod Justinianus *d. §. Pupillus. 9. Inst. de inutil. stipulat.* scribit, hujusmodi quoque pupillos nullum habere intellectum; hoc vel de intellectu perfectiore vel comparativè intelligendum, dum hi pupilli cum aliis conferuntur; quo sensu & secundum subjectam materiam dictum est, *in §. præterea. 1. Instit. quib. non est permiss. fac. test.* de omnibus pupillis, nullum esse eorum animi iudicium, & habent procul dubio proximi infantia aliquem intellectum: Itaque aliquid etiam de proximis pubertati eos participare rationis est, nec proinde rectè hic eadem ratio statuitur infantis & infantia proximi, ut ex eo perspicuum est, quod hac ætate rectè contrahuntur sponsalia *l. in sponsalibus. 14. ff. de sponsal.* quæ utique requirunt aliquem consensum, nec etiam alias tutore authore quidquam agere posset, nec benignior interpretatio, *in l. 1. §. huic. 13. ff. de obligat. & act.* locum invenire potuisset, præsertim, ut idem juris haberent, quod proximi pubertati: nimirum hætenus, ut & sibi alios obligare, & tutore authore contrahere, & alia facere possint, *d. text. & l. obligari. 9. ff. de Auth. Tutor. l. Julianus. 13. §. si quis à pupillo. 29. ff. de act. em. l. 43. ff. de oblig. & act. l. ex stipulatione. 1. C. de inutil. stipulat.* Sichard. ad *l. potuit pupillus. 5. C. de jur. deliber. n. 6.* & in pupillis infantia proximis aliquid esse intellectus ex ipso textu, *d. §. pupillus. 9. Inst. de inutil. stip.* probatur, ubi idem jus illis tribuitur, quod pubertati proximis; nempe ut sibi alios obligare, & quævis cum tutore rectè agere possint; de quibus agitur *in l. in negotiis. 5. ff. de Reg. Jur.* ubi dicitur pupillos, qui dari possunt, omnia re-



De agere posse : nam quod ibi additur eos non intelligere a-
ctum, ad veram & perfectam intelligentiam referendum est,
& satis est intelligere eos, quod loquuntur ; Et sic diverso re-
spectu potest pupillus proximus infantiae dici non intelligere,
quod agitur *dd. LL.* & tamen aliqua intelligere, quomodo in
l. 1. §. 3. in fin. ff. de acquir. vel amitt. possess. ibi, si ejus atatis sint,
ut intellectum capiant, ut scilicet aliquid intelligant, junct. l. 1. §. 9.
ff. eod. Cæteroque manet inter eos differentia: quod proxi-
mi infantiae doli capaces, nec dum sunt : sed etiam non est i-
dem gradus consensus in iis, qui est in proximis pubertati, *l. pu-*
pillum. III. princ. ff. de Reg. Jur. l. impuberem. 23. princ. ff. de furt.
l. apud Celsum. 4. §. de dolo. 26. vers. denique Iulianus. ff. de doli
mal. except. l. 13. ff. de dol. vid. l. 17. de excus. tut. Decius ad l. d. l.
pupillum. III. de Reg. Jur. Sichard. ad rubric. C. de Novat. & De-
teg. n. 10. 11. vid. Bachov. ad d. §. pupillus. 9. Inst. de inutil. stipul.
Unde per se solum contractum celebrare non potest, acceden-
te tutoris auctoritate potest, quia animi infantilis non plenus
affectus, & infirmum adhuc iudicium suppletur, & hoc pro-
pter utilitatem receptum est, testante *Iustiniano in d. §. 9. Inst.*
de inutil. stipulat. vid. d. l. 1. §. 3. & 9. ff. de acquir. vel amitt. pos-
sess. l. pupillus. 9. ff. de acquir. vel amitt. hered. d. l. 1. §. hinc. 13. ff.
de obligat. & act. Ob animi vitium porro constituere prohi-
bentur furiosi & mente capti, cum enim nullus hic est ani-
mus, nullum etiam mentis iudicium, eos etiam non posse
constituere, per se patet *arg. l. si cum dotem. 22. §. si maritus. 7. ff.*
solat. matrim. l. 47. ff. de acquir. vel amitt. hered. l. 23. §. 1. ff. de
donat. utpote quorum nulla est voluntas, *l. furiosi. 40. ff. de*
Reg. Jur. cui etiam non absimilis, ad mentis alienationem in-
ebrietas, qui quid agat, nescit, hic enim cum mentis labore
exilio,

exilio, cap. 14. X. de vit. & honest. cleric. adeoque consensu de-
 stituatur, meritò ejus constitutum erit nullum, nisi discussa
 crapula id ratum habuerit: Infans igitur & furiosus, uti ullum
 contractum, ita ut ex illo firmiter obligentur, celebrare non
 possunt, sic etiam constituere nequeunt; Furiosorum verò in
 legibus nostris duo dari genera, *l. cum aliis 6. C. de curat. furios.*
 docet, unum eorum, quibus continuum furoris infortunium
 accidit, quique continua mentis rabie agitantur & torquen-
 tur, *l. Divus Marcus. 14. §. princip. ff. de offic. praesid. l. cum praetor.*
12. §. 2. ibi: perpetuò furiosus. 39. ff. de judic. Alterum, quorum
 furor est temporaneus, & quorum morbus interdum certis
 intervallis remittit, *d. l. Divus Marcus. & L. Si cum dotem.*
22. §. 7. ff. solut. matrimon. & L. 6. & 9. Cod. de curat. furios.
 De furiosis itaque, quatuor talibus, qui per omnia & in omnibus
 absentis & quiescentis loco habentur, *l. si ei qui. 2. §. Furiosus.*
3. ff. de Jur. Codicill. L. ubi non voce, 124. §. 1. ff. de Reg. Jur. hic
 nobis sermo est, & in his ne quidem, ut in pupillo, qui infan-
 tia proximus, *d. §. pupillus. 9. Instit. de inutil. stipulat.* animus
 suppletur *arg. l. in negotiis. 5. ff. de Reg. Jur.* sed ejus nomine
 curator omnia solus, nihil ipso conferente gerit: Cum enim
 furor mentem omnem alienet, quid est in furioso, quod cura-
 tor supplere debeat, *Bachov. ad Trevel. vol. 2. disp. 21. thes. 3. lit.*
A. Hi verò qui dilucida habent furoris intervalla, uti quosli-
 bet a furor quiescente rectè celebrant, ita etiam hoc con-
 stitutum possessorium rectè perficiunt, *arg. §. 1. Instit. quib. non*
est permiss. fac. testam. l. 2. C. de contrah. empt. d. l. 6. vers. sed qui
intervalla. C. de curat. furios. l. 9. C. qui test. fac. poss. Lege con-
 stituere prohibentur quidam ob consensus imperfectionem,
 alii ob malos mores: Ob consensus imperfectionem prohi-
 bentur constituere pupilli, horum tres sunt gradus, qui refe-

runtur in d. §. pupillus. 9. Instit. de inutil. stipul. vel enim sunt infantes vel infantia proximi vel pubertati proximi, *Sichard. ad rubr. C. de Novat. & deleg. n. 8.* Infantem nec non proximum infantia constituere prohiberi, propter defectum intellectus ex præcedentibus patet, hic solummodo controvertitur, An pubertati proximus efficaciter constituere possit? Et hoc cum aliis rectius negandum existimo, quemadmodum enim res suas administrare prohibetur, ita quoque & multo minus eas alienare licet, per text. express. in §. Nunc admonendi. 2. Institut. Quib. alien. sic. vel non. nisi auctore tutore, quo auctore omne negotium recte gerere, & contractus celebrare potest, d. §. pupillus. Instit. de inutil. stipul. l. in negociis. 5. ibi pupillus omnia tutore auctore agere potest. ff. de Reg. Jur. l. obligari. 43. ff. de obligat. & act. modo semper præcedat contractus vel alius actus habilis ad transferendum dominium, ut supra notatum, nullatenus verò donatio, quamvis per hanc etiam transferatur dominium, tot. tit. Instit. de donat. cum enim qui donat perdere dicatur, in l. filius familias. 7. princ. ff. de donat. Ideò expressè cautum est, ne pupillus etiam auctore tutore donare possit, per l. in omnibus. l. §. sed et si. 21. ff. de tutel. & rat. distrab. nisi certis quibusdã casibus, d. §. 2. quia hic requiritur decretum iudicis, l. fin. vers. cum autem. C. si maj. fact. al. fin. decret. Quod non nisi ex justa, vera, & apud acta probata causa interponitur, l. 6. C. de prad. min. Donatio verò non dicitur justa causa, & tutores in administratione boni & diligentis patris familias sollicitudinem imitari debent, arg. l. 10. & l. 33. ff. de admin. tut. Qui certè magis occupatus est, circa augendum, vel saltem conservandum, quàm diminuendum patrimonium, ejusque officium ad administra-

ministracionem & conservacionem, non verò ad dissipatio-
 nem spectat, per *l. fin. ff. de tutel. & rat.* De minore, an is con- ^{quasi.}
 stituere possit? hic etiam non incommode quaeritur, Quod
 cum aliis negamus, cum enim hoc constitutum possessorium
 sit quaedam alienatio, praecedente scil. contractu vel actu habi-
 li, ad transferendum dominium, in minorum verò fragile sit &
 infirmum consilium, & multis captionibus suppositum, mul-
 torum insidiis expositum, teste Jcto in *l. 1. ff. de minor. l. fin. ff.*
de manum. vind. alienandi facultas illis non immeritò est ad-
 empta, adeò ut minor rem immobilem, sive cum auctoritate
 curatorum, sive sine auctoritate, validè alienare non possit, ni-
 si adhibitis certis solennitatibus & requisitis, *And. Geil. lib. 2.*
observ. 72. Horum requisitorum tria legibus prodita sunt:
 Primum est justa alienandi causa, *l. qua tutores. 22. verb. Nisi*
hac fortè necessitate. & vers. & probationem causa, & c. Ubi
Gothofr. in not. l. ob as alienum. 12. C. de prad. min. sin. decret. non
alien. in princ. Secundum requisitum est decretum & autho-
 ritas Magistratus, *d. l. 22. verb. interpositionemque decreti ut*
fraudi locus non sit. l. 1. l. 10. l. 11. l. 12. & tot. tit. C. de prad. min. sin.
decret. non alien. Tertium requisitum est causae cognitio, *d. l.*
22. verb. per inquisitionem judicis & probationem causa. Nec
 enim sufficit causam adesse, nisi ad alienationem sufficiens à
 magistratu deprehensa & cognita fuerit, ubicunque enim au-
 thoritas praetoris vel judicis, in aliquo actu requiritur, semper
 necessaria est causae cognitio, *l. sed si hac. 10. s. praetor. ff. de in jus*
vocand. & talia decreta, in quibus non exprimitur, quod cum
 causae cognitione interposita, ipso jure nulla sunt, nec pupillis
 nec minoribus praedjudicant, per text. in *l. magis puto. 5. s. &*
non passim. §. si as alien. ff. de reb. eor. qui sub tutel. l. nec quic-
 quam.

quam. §. ubi decretum. ff. de offic. pro cons. Decius cons. 351. n. 6.
 Et hæc tria requisita conjunctim requiri, ita ut etiam ob unius
 requisiti defectum, non subsistat alienatio, ut maximè reliqua
 observata fuerint, per text. in l. & si præses provincie s. & l. ob
 alienum. C. de præd. min. sin. decret. non alien. tradit. Dn. Carp-
 zov. I. F. R. S. part. 2. Constit. 9. definit. 28 per tot. Res verò mo-
 biles, quamvis olim minor auctoritate curatorum, potuerit
 eas omnes alienare, hoc tamen hodie est restrictum ad illas
 res mobiles, quæ servando servari non possunt, l. quæ tutores.
 22. C. de admin. tutor. l. & sine. 4. C. Quand. decret. op. non est.
 Joh. Sichard. ad l. si curatorem. 3. C. de in integr. restit. Non so-
 lum quia pretiosa mobilia immobilibus comparantur, Coler.
 part. part. 2. decis. 285. n. 48. And. Rauchb. part. 1. quest. 26. n. 34.
 Sed etiam, ne ex eorundem distractione damno afficiantur
 pupilli vel minores, d. l. 22. C. de admin. tut. Dn. Benedict. Carp-
 zov. I. F. R. S. part. 2. constit. 44. desin. 69. n. 1. & 2. Ideo etiam
 hujusmodi alienationi constitutum possessorium accedere
 non potest. Cum autem hæc quæstio, An minor possit con-
 trahere, & contrahendo bona sua validè alienare? propter di-
 versas & contrarias Dd. opiniones, valdè intricata videatur,
 tentabimus num res ambigua distinguendo dilucidior eva-
 dere possit; Nimirum minor vel habet curatorem, vel eo est
 destitutus; Priori casu, cum non absimilis habeatur ei, cui à
 prætore bonis est interdictum, quicquid actum erit, ipso jure
 nullum est, l. si curatorem. 3. C. de in integr. restit. quia curator,
 non tam personæ, quàm rebus minorum datus, d. l. in copulan-
 8. C. de Nupt. & propterea, quando celebrat contractum abs-
 que curatoris consensu, ita, ut non tantum persona minoris,
 sed etiam res veniant in obligationem, tunc minor non obli-
 gatur,



gatur, sed contractus est ipso jure nullus, *d. l. 8. & l. 3. C. de integr. restit. Bachov. ad Treutl. vol. 1. Disp. 6. thes. 5. lit. C. in fin.* Quamvis quoad personam tantum, & ad illos contractus minoris, qui non requirunt auctoritatem vel consensum curatorum, puta si sponsalia, aut nuptias per stipulationem contrahit, firmiter obligetur, illique actus minorum sint firmi & validi, per *text. disert. in d. l. 8. C. de nupt. & in l. puberes. 101. ff. de verb. obligat. l. 2. & 14. ff. de sponsal. arg. l. 35. §. 1. de verb. oblig.* quia eo casu, quo se auctoritas curatorum non extendit, minor habetur pro patre familias, *Alber. Gent. lib. 2. de Nupt. cap. 6. Cujac. ad l. obligari. 43. ff. de oblig. & act.* Posteriori verò casu, quando scilicet non habet curatorem, obligatur quidem minor, verum ita, ut læsus, semper gaudeat beneficio restitutionis in integrum, *d. l. 3. C. de in integr. restitut. ibique Sichard. n. 1.* quod tamen intra præfinitum tempus impetrare & petere tenetur *d. l.* Quod autem dictum, contractus minorum esse validos, id tantum verum in illis contractibus, in quibus non est necessarium decretum judicis, licet enim si in adultus, tamen si vendam domum, vel aliam rem immobilem, ipso jure contractus est nullus, quia ejusmodi contractus decreta præsupponunt, *L. non solum. l. minorum. C. de præd. min.* Cum itaque minores ob consensus imperfectionem ita contrahere prohibeantur, & propterea contractus illorum sint invalidi, uti jam dictum, sequitur etiam, quod pactum constituti possessorii illis adjectum sit inutile & nullius momenti. Ob malos mores denique constituere prohibentur prodigi, qui libidinum omniumque vitiorum servi dicuntur, in *L. fin. §. 2. C. de sent. pass.* & qui prodigus æquiparatur pupillo, per *text. in L. certi conditio. §. idem erit. ff. si cert. petat. Sichard. d. l. si curatorem. 3. C.*

E

de in



de in integr. restit. n. 6. Harprecht. ad §. 2. Inst. quib. non est permiss. fac. test. & furioso. L. his qui 12. ff. de tutor. & curator. dat. l. Fulcinius. 7. §. adeo. vers. idemque in prodigo. ff. quib. ex caus. in poss. Bened. Carpzov. I. F. R. S. part. 3. constit. 6. def. 9. n. 3. sequitur, quod contractus prodigorum sint invalidi, si sine auctoritate curatorum fiant & ipsorum constitutum ipso jure nullum. Prodigus verò quis dupliciter dicitur: *Primò Ethicè*, qui ex malo profusionis habitu in res suas grassatur, *Secundò Juridicè*, qui à Magistratu prævia in mores ejus inquisitione talis declaratur esse, qui neque finem, neque modum expensarum habet, sed bona sua dilacerando & dissipando profundit, *L. 1. princip. ff. de Curat. furios. Dn. Bened. Carpzov. I. F. R. S. part. 3. constit. 6. definit. 9. n. 1.* Ille licet rei veritate sit prodigus, tamen quoad effectum juris, ut scil. ex nullo obligetur negotio, necesse est, curatore dato declaratio magistratus, & *quest.* bonorum interdictio; Hinc moveri solet quæstio, An ipso jure prodigo bonis interdicatur? Et quamvis nonnulli existiment, quod ipso jure & sola lege absque ulla præcedente causæ cognitione & decreto magistratus, prodigo bonis interdicatur, contrariam tamen sententiam, utpote de jure veriorem defendere conabimur, præsertim cum ea disertis & expressis textibus, in *L. Julianus. 10. ff. de curat. furios. & d. l. 3. C. de in integr. restit.* corroboretur, tam etiam quod prodigum esse sit facti, ac ex circumstantiis dependeat, utrum quis debito modo faciat expensas vel non, proindeque nulla lege aut juris regula possit definiri, *arg. l. Mora. 32. pr. ff. de usur.* Neque attenditur, an Ethicè quis prodigus sit, sed potius an decreto prætoris prodigus fuerit declaratus, quoniam falli possunt hominum judicia, quibus minus est tribuendum, quàm decreto magistra.



tus, quem super prodigalitate cognoscere & pronunciare oportet, *L. his qui 12. ff. de tutor. & curat. furios. Dn. Carpzov. I. F. R. S. part. 3. constit. 6. definit. 10. n. 2, & 3.* Unde sequitur indubitatio, quod Ethicè prodigus rectè possit celebrare contractus, per quos dominium transfertur, & per consequens etiam constituere, cum adhuc rerum suarum moderator & arbiter, *l. in re. 21. C. Mandat.* Juridicè verò prodigus cum bonorum administratio ipsi amplius non sit concessa, sed curatorum suo demandata, nullum actum legitime exercere, nec ullum contractum celebrare potest, nec contrahens efficaciter obligatur, *l. is cui. 6. ff. de verb. oblig. ubi Cujac. Ant. Fab. in Cod. lib. 5. tit. 38. defin. un. n. 5.* Nec quicquam contra nostram sententiam facere videtur, quod *in d. l. 1. ff. de curat. furios.* dicitur ipso jure finiri curam, sicut enim in simili dicitur in materia compensationis, nec tamen eo ipso excluditur factum hominis, ita etiam per verba ipso jure, *in d. l. 1.* non excluditur factum magistratus, *vid. Bachov. ad Treutl. vol. 1. disp. 6. thes. 5. Dn. D. Hahn. ad Wesenbec. ad tit. de Curat. furios. n. 2. Dn. Bened. Carpzov. I. F. R. S. part. 2. constit. 15. defin. 37.* Consideratis jam contractibus pupillorum, minorum & prodigorum, & quomodo illi dicantur nulli & invalidi, congruè hic proponitur anceps & sæpissimè occurrens quæstio, An pactum Constituti Possessorii ejusmodi contractui nullo vel invalido adjectum, possit subsistere, ita ut per illud transferatur possessio? *Tiraquell. d. tract. de iur. constit. possess. part. 3. lim. 7.* postquam varias Dd. recensuisset opiniones, tandem distinguit, An possessio per actualem traditionem, an verò per fictam traditionem sit tradita & concludit, quod si in contractibus inutilibus & invalidis non interveniat actus facti, id est realis traditio, sed juris

Quæst.

E 2

tantum

tantum scilicet constitutum sive precarium vel retentio ususfru-
 ctus, &c. tunc non transferatur possessio: nam cum ea trans-
 latio sit juris & non facti, potest ab ipso jure impediri: *arg. l.*
possessio 1. §. si vir uxor. 4. ff. de acquir. vel amitt. possess. Et
 possessionem quæ juris & fictionis ministerio quæritur, scilicet
 per constitutum, non quæri ex inutili & invalido contractu, si-
 ve causa injusta & non legitima, probat *Iac. Aret. in d. l. 1. §. 4. ff.*
de acquir. vel amitt. possess. Et quod ex inutili contractu non
 transferatur possessio per fictam traditionem, sed opus esse
 corporali traditione, in terminis docent *Cardin. Tusc. in verb.*
possessio. conclus. 425. n. 7. Thomat. decis. 40. n. 24. Lud. Postius d.
tract. de mandat. manuten. observat. 20. n. 40. Bart. in l. cum fal-
sa. C. de jur. & fact. ignor. Quia constitutum sive precarium
 est, accessorium contractus, in quo apponitur, Et ideò si con-
 tractus non valet, nec ejus quoque accessorium, quod sequi-
 tur naturam illius contractus, cui apponitur sive validi, sive in-
 validi, *c. accessorium. de Reg. Jur. in 6. Ludovicus Postius d.*
tract. observat. 29. n. 41. & invalidatur ac resolvitur ipsum
 constitutum ex invaliditate & resolutione ipsius contractus:
 Nec potest quis uti constituto, si lis pendeat super nullitate
 contractus, in quo est constitutum appositum, *Post. d. loc. n. 45.*
 adeò, ut ad invaliditatem seu resolutionem contractus princi-
 palis, sequatur invaliditas & resolutio constituti, nec per illud
 possessio transferatur, *Alex. consil. 71. n. 11. & 14. Decius consil.*
246. n. 3. Cravett. consil. 399. n. 3. Post. decis. 68. n. 4. Sic etiam
 omnes clausulæ in contractu appositæ, sequuntur naturam i-
 ipsius contractus principalis, ut si is contractus rescindatur, an-
 nulletur etiam pactum evictionis vel poenæ in eo appositum,
Gloss. in l. si patronus. §. patronum. in verb. Faviana. ff. si quid in
fraud.



fraud. patron. Et stipulatio in alio contractu, quam ipsius stipulationis apposta, sequitur naturam ipsius contractus, *l. cum mota. & ibi Angel. col. 2. vers. sed tunc instatur. C. de transact. l. si stipulatus. pr. ff. de usucap. & l. 5. §. conventionales. ff. de verb. obligat.* Idem observatur in stipulatione apposta in alio quovis actu, ut ipsius naturam sequatur, *l. cum qui §. qui injuriam. in princ. ff. si quis caut. ubi Bart. & Dd. communiter.* Nec cum principalis causa, non subsistat, ea quæ sequuntur locum habebunt, *l. cum principalis. & l. nihil dolo. §. cum principalis. ff. de Reg. Jur.* Si enim non valet actus principalis, nec illud quidem valet, quod venit accessorie, *Bald. in l. & si is. C. de præd. minor. & Cyn. in l. 2. ff. de jurisdic. omn. jud.* Quam sententiam, quod nempe constitutum possessorium contractui inutili appositum, inutile sit, nec per illud possessio transferatur in Curia Parisiensi approbatam, & sæpius secundum eam judicatum, testatur *Tiraq. d. l. n. 23.* Illamque inde confirmat, quod constitutum sit pars contractus inutilis, cum ad constitutum veluti accessorium aliquod, requiratur causa principalis, sive præambula, eo fine, ut sibi quis possessionem aut detentationem constituere possit, quæ utique citra veram transferendi causam, subsistere nequit, indeque constitutum per se habile non est ad transferendam possessionem, *arg. l. per procuratorem. 8. C. de acq. vel retin. possess. Zas. ad d. l. 18. ff. de acq. vel amitt. poss. n. 8. Alciat. ad d. l. 18. princ. sub. n. 6. circ. fin. vers. sed nunquid.* tum etiam quod quis inutiliter vendit aut donat, aut aliter alienat rem suam, manet dominus ut ante erat, cum ex inutili contractu non transferatur dominium, *l. 3. §. si stipulanti. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Ex quo illud etiam sequitur, quod nec illo casu valeat precarium, cum precarium

rei suæ consistere non possit, *l. in reb. §. 1. ff. de prec.* uti nec pignus, nec conductio rei suæ, *l. si aliquam rem. ff. de acquir. vel amitt. poss. l. qui rem. C. locat. & l. ei à quo. ff. de usucap. & l. neque pignus. ff. de Regul. Iur. Zas. ad d. l. 18. ff. de acquir. vel amitt. possess. num. 8.*

X I.

Sequitur jam de Objecto Constituti Possessorii, quod præcipuè occupatum est, circa possessionem, vel transferendam, vel accipiendam, ut ita objectum Constituti Possessorii non malè quis possessionem statuerit.

Objectum Constituti Possessorii in thesi statuimus possessionem, cum enim constitutum præcipuè versetur circa possessionem transferendam vel accipiendam, etiam non ineptè possessio pro ejus objecto haberi potest, quia verò constitutum in omnibus rebus indifferenter intervenire non potest, nec ad omnes res suam vim extendat, ideò paucis præmittendum, quod quarum rerum non potest acquiri possessio, ut rei sacræ, sanctæ, religiosæ, publicæ liberi hominis, &c. *vid. l. possessio. 1. §. 8. l. cum heredes. 22. §. fin. l. 30. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. possess. l. sed. 6. ff. de contrah. empt.* sicuti ullius contractus aut obligationis objectum regulariter fieri nequeunt, ita etiam hujus constituti possessorii, quod absque alio præcedente contractu ad transferendum dominium habili, subsistere nequit, objectum esse haud possunt; Unde manifestum, quod de illis rebus, quarum dominium & possessio acquiri, prohibita non est, ut sunt res privatæ & singulorum, sive mobiles, sive immo-

immohiles, sive corporales, sive incorporales, sive allodiales sive feudales, constitutum fieri possit, modo alienans sit sui juris & rerum suarum habeat liberam administrationem. Hinc notandum constitutum hoc possessorium locum sibi vindicare, non solum in alienatione rei cuiuspiam singularis, sed etiam in alienatione & obligatione universorum bonorum, ut si ego dono, vendo, obligo universaliter omnia mea bona, & constituo me possidere nomine emptoris, donatarii vel creditoris, licet aliter ea bona non exprimantur, tamen per constitutum, ejusmodi contractui, per quem illa bona alienantur, adjectum, transfertur possessio, *vid. Tiraquell. part. 2. ampl. 31. d. tract. de jure constit. possess.* Nulla enim potest dari ratio à priori, nec à posteriori, propter quam lege positiva, respectu bonorum universorum censeatur prohibitum, respectu verò particularium permissum sit, & quæ lege positiva à legislatore alienari prohibita non sunt, nec expressis verbis legis, nec per bonam consequentiam prohibita non reperiuntur, illa sicuti alienari, ita etiam in constitutum deduci possunt, *arg. l. nec non. 28. §. 2. ff. ex quib. caus. maj. l. 25. ff. ad municip.* Nec officit, quod tradunt nonnulli in sæpè *d. l. 18. ff. de acquir. vel amitt. possess.* Ad hoc ut per constitutum transferatur alicujus rei possessio, necessariam esse illius notitiam, quæ acquiri debet, quæ tamen in constituto generali non obtinet, 2. Nec tradi, nec accipi posse, id quod incertum est, *l. locus. 26. ff. de acqu. vel amitt. possess.* quia incertæ rei possessio acquiri non potest, *l. possideri. 3. §. incertum. 2. l. possessio. 1. §. 3. ff. de acquia. vel amitt. possess.* & possessionem acquiri non posse, sine animo ejus, qui illam acquirere intendit, docet *l. 1. §. 2. & l. 3. ff. eod.* Animus verò, sive consensus hominis ad incognitum non fertur: Qui consensus habet duo principia, cognitionem & appetitum.

Bonum

Bonum enim apprehensum seu cognitum movet virtutem appetitivam, *Arist. 3. Eth. 1.* ubi igitur nulla præcedit cognitio, ibi non habet locum appetitus, vel aliquis consensus, atqui respectu rerum universalium nulla præcedit notitia, Ergo nec eorum possessio acquiri potest. Resp. enim ad 1. Quamvis difficile sit, distincta notitia scire omnes alterius facultates, hinc tamen malè infertur, ergò nullo modo cadunt in notitiam hominis; Notitia enim alia est distincta, alia confusa, & hoc modo in genere scire possum omnia alterius bona, quæ etiam sine dubio aliquo casu accuratissimè sciri possunt, sicuti verò nulla facultas extra proprium objectum vagatur, sed manet intra sphaeram activitatis, ut loquuntur Philosophi, ita etiam constitutum possessorium debet restringi ad proprium objectum, nimirum res, quæ possideri possunt, vel quarum possessio datur, Quæcunque igitur sub objecto, nimirum possessionis non comprehenduntur, id est, quæ sunt extra commercium hominum, ob impedimentum legis prohibitivæ, uti ab homine possideri nequeunt, vocabulo strictè sumto, secundum Leges Romanorum, ita in constitutum deduci nequeunt: Contra verò, quæ res possunt à nobis acquiri, vel quarum possessio, nec lege civili positiva prohibetur, ut sunt res privatae & singulorum, sive illæ sint mobiles sive immobiles, sive corporales sive incorporales, sive allodiales sive feudales, earum etiam constitutum possessorium fieri potest; si modò in eo, qui alienare vult, actus secundus dominij, scil. alienatio à lege civili non prohibeatur, fieri enim potest, ut qui sit dominus alicujus rei actu primo, actus tamen secundus impediatur; Hæc enim est vis & potestas legis civilis, ut possit disponere de bonis & actionibus civium in republica, propter domi-

dominium supremum eminens, quod in Republica suprema
 Majestas habet : Ex supra dictis sequitur quod non tantum
 in alienatione, latè & in genere sumto vocabulo, rerum singu-
 larium & particularium, sed etiam universalium, hoc consti-
 tutum possessorium locum sibi vindicet; Et ad 2. &. Concedi-
 mus hoc, quod conjunctim & à parte rei & intellectus huma-
 ni adeo sunt incertæ, ita ut nec distincta notitia nec confusa, à
 mente humana apprehendi possint, possessio earum acquiri
 non possit: Sed si ita subsumatur, atqui bona universalia alte-
 rius ita sunt incerta, tum propositio minor nullo textu juris
 nec solida ratione probatur, & quod notitia in universali quo-
 ad hunc effectum acquirendæ possessionis sufficiat, probant
 textus express. in l. Possessio 1. §. Per eum. 8. & §. si jusserim. 21.
 in fin. ff. de Acquir: vel amitt: possess: L. Claves. 74. ff. de Con-
 trah: Empt: L. Qui Iure militari. ff. de Test: milit: Lud. Post. d.
 Tract. Observat. 20. n. 38. in fin. Hoc verò magis suspectum vi-
 detur quod tradit Tiraq: d. l. ampl: 32. n. 1. Per constitutū trans-
 ferri possessionem bonorum non tantum præsentium sed et-
 iam futurorum: ut si quis donet omnia sua bona præsentia &
 futura, atque se constituat possidere pro donatario, quod tunc
 ex hujusmodi constituto transferatur possessio bonorū illo-
 rum futurorum, tunc cum erant acquisita, sicuti & nunc præ-
 sentiū: Quia hoc repugnat naturæ Constituti possessorii, cum
 constituens prius vere & suo nomine possidere debeat illam
 rem, quam alterius nomine constituit possidere, idque tem-
 pore constituti d. l. Quod meo. 18. ff. de Acq: vel amitt: poss: Card:
 Tusc: in verb: Constitutū. concl: 78. n. 44. Ægid. Thom: Decis: 96.
 n. 41. Cravet. consil. 890. n. 4. Nemo enim potest dare quod ipse

F

non

non habet: *L. Traditio. 20. ff. de acquir. rer. dom. l. Nemo. 54. l. 120. l. 160. §. fin. ff. de Reg. Jur. l. si filius C. de donat. l. 2. C. de pæn. l. unic. C. Qui pro sua Iurisdict. Philipp Decius ad d. l. Contractus 23. n. 18. Vers. Primo.* Futura vero bona tempore constituti nequaquam possidet Constituens, Ergo etiã Constitutum futurorum bonorum est nullius momenti; Deinde etiam clausula Constituti hunc effectum operatur, ut qui possidebat, desinat possidere faciatque alium possessorem. Quanquam verò fiat uno instanti ut & amittat possessionem & eam in alium transferat, non tamen propter impedimentum à lege positiva fieri potest, ut uno & eodem actu quis adquirat & simul desinat possidere, accedit quod respectu & ordine naturæ, prius sit acquiri possessionem, quam amitti; Atqui clausula Constituti in presenti casu nullum effectum habere potest, nisi eo instanti, possessio jam sit quaesita debitori; Unde fieri non potest, ut unico actu quo adimpletur conditio, quæ est causa sine qua possessio acquiri non potuit, simul amittatur eodem possessio; Quod verò conditio illa prius adimpleri debeat inde probatur, quod de natura omnium actuum civilium qui sub conditione aliqua fiunt, ut antequam conditio existat, effectum producere nequeant, qui alias in negotiis pure contractis sequutus esset, & conditio existens hoc saltem operatur ut per existentem conditionem actus proinde ac si purè esset factus iudicetur per fictionem legis positivæ, cuius potestate conditio retrahitur ad tempus initi contractus, & pendente illâ conditione, nec obligatio nec actio nata est, sed spes est debitum iri §. sub conditione. 4. *Instit. de Verb. Obligat. l. certe 213. de Verb. Signif. l. 43. §. 9. ff. de Ædilit. Edict. l. 4. §. 2. ff. de pact. Anthon. Fab. lib. 15. conject. cap. 6. & 7.* Quæ verò est ratio, obliga-



obligationem sub conditione contrahi, eadem etiam possessi-
onis esse videtur, sicut enim ex stipulatione sub conditione
contracta antequam conditio existat, nulla debetur obligatio,
nec actu primo nec actu secundo *d. s. sub conditione l. certe 213.*
ff. de Verb. signif. ideoque interim inutiliter agitur l. 43. §. 9. ff.
de Ædilit. Edict. l. 4. §. ff. de pact. l. un. in fin. ff. Quand. dies vsus.
fr. l. 2. §. 6. ff. Quod cert. loc. : Ita etiam transferri nequit pos-
sessio rerum futurarum, nisi prius illa à transferente fuerit ac-
quisita, Unde prius harum rerum possessio transferri non pot-
est, nisi ponamus aliquem jam illa bona possidere, quo tamen
casu non sunt amplius futura sed actu præsentia & existentia.
Vid. Tiraq. d. tract. de Iur. Constit. poss. part. 3. lim. 1. n. 1. & lim.
19. n. 4. Ant. Fab. de Error. pragmat. Decad. 4. Err. 8. & lib. 2.
conject. cap. II.

XII.

De effectu Constituti Possessorii, in definitione
& divisione hætenus propositis ratione in-
stituti nostri diximus, restat adhuc ut insi-
gniores quosdam effectus hoc loco subjun-
gamus, omnes enim & varios Constituti
Possessorii effectus hic enumerare consul-
tum non ducimus, satius arbitantes, si præ-
cipuos saltem recensuerimus.

Effectus hic non ita proprie & stricte accipitur, proprie enim
dominium effectus est tituli, qui dominium transferre solet, ut
in emptione, donatione, successione hereditaria & similibus.

Nunquam enim nuda traditio transfert dominium; sed ita, si venditio, aut aliqua iusta causa præcesserit propter quam traditio sequeretur. §. *per traditionem* 40. *Inst. de Rer: Div: l. Traditionibus* 20. *C. de pact. & l. Traditio* 20. *l. Nunquam* 31. *ff. de acquir: rer: dom: Covarruv: lib. 2. var: resolut: cap: 19. vid: thes: 7. pag. 15.* Traditio est modus transferendi, emptio, donatio &c. sunt tituli & causæ, ex quibus transfertur dominium vel Jususucapiendi, & sunt adeo tituli possessionis, quam sequitur dominium vel non, prout tradens dominus est vel non, per *l. 4. C. de contrah: Empt: l. nullo. 24. & l. ult. C. de Rei vind. l. Possideri. 3. §. genera. 11. ff. de acquir: vel amitt: possess: l. cogi. 11. C. de petit: hered. Bachov. ad §. Traditio. 40. Inst: de Rer: divis: n. 1.* Possessio verò est causa & conditio, sine qua regulariter ex ejusmodi titulo aliquo, tanquam fonte & origine effectus ille domini actu fluere nequit. *Vid. Molin. Tract. de Iustit. & Iur. Disp: 4. n. 1. Leonhard: Less. de Iust: & Iur. lib. 2. cap: 3. Dub: 3. n. 12. & 13.* Sic quoque interdicta, quæ effectibus possessionis vulgo connumerantur, media potius sunt ad hoc comparata, ut ipsorum beneficio possessionem vel adipiscamur vel conserveimus vel recuperemus, §. *sequens. 2. Inst. de Interdict. Ictus Paulus. in l. 2. §. final. ff. Eod:* quam ut interdicta retinendæ veri possessionis effectus dici possint; Inde per se patescit, effectum hic impropriè sumi pro eo quod quoquo modo ex possessione fluit, aut propter eam competit; Cum v. effectus Constituti possessorii idè sit, qui alias translata possessionis, unde etiã remedia possessoria æque operatur. *Vid. Ampliss. Dn: D. Hahn in observat. ad Wesenb: part: 2. Ad Tit. de acquir: vel amitt. possess. n. 8. vers. se constituat in fin.* non dubitandum per constitutum possessorium veram possessionem
trans-



transferri *Zaf. ad d.l. Quod meo. 18. ff. de Acquir vel amitt: poss.*
sess. n. 11. Lud. Post: Tract. de Mandat: manuten. observ: 20. n. 8. 9.
10. & 11. Cravetta cons. 107. n. 2. Effectus enim arguit suam cau-
sam & is qui interdicta & remedia possessoria habet, necessa-
ria consequentia possidet, Bachov. ad Treutl: vol. 2. Diss. 21.
Thes. 4. lit. F. Quemadmodum igitur possessori competunt
remedia possessoria §. 3. Instit: de Interdict. & tot. tit. ff. Quor:
bonor: Fructuum perceptio & lucratio, quos prætextu b. f. ex
præsumptione probabilis opinionis domini, quæ ipsi tantun-
dem præstat, quantum veritas, quamdiu verus dominus igno-
ratur l. Bonafides. 36. ff. de Reg. Iur. acquirit, Impensarum de-
ductio, Retentio, Jus resistendi, si ei vis in sua possessione in-
tentetur eaque deiciatur l. 1. §. 27. ff. de vi & vi armat. Ita etiam
Constitutarius, si is fuerit spoliatus, potest intetare remedium
recuperandæ possessionis, non minus quam si plenâ ac actua-
lem possessionem habuisset arg. l. ult. §. 1. ff. de Precar: Matth:
de Afflict. Decis. Neapol. 40. n. 14. & Decis. 299. n. 91. Tiraq: d.
Tract: part. 2. ampl: 11. n. 1. Unde effectus Constituti possessorii
fatis manifesto apparet. Vid. Tiraq: d. Tr. part. 1. n. 2. & 3. de Iur.
Constit. poss: Anton: Thesaur: Decis. 88. n. 1. Phil: Decius in l. Con-
tractus n. 12. ff. de Reg: Iur: Et hic effectus generalis & omni-
um communissimus est; hinc fit, ut si quis uniprimum ven-
diderit & ejus nomine se possidere constituerit: deinde & al-
teri quoque vendiderit & ei possessionem naturalem tradide-
rit, primus ille ob Constitutum præferendus, quamvis alias eo
casu, cum res duobus separatim vendita est, is sit præferen-
dus, cui primum res tradita fuerit, etiamsi posterior sit titulo,
arg. l. si ve aut §. si duobus ff. de Act. Empt. & l. Quoties C. de Rei
vind: & l. Qui tibi C. de hered. vel act. vend. Vid. Gwid Pap:



Decis. 112. Phil. Decius ad d. l. contractus n. 18. vers. Ex supra dictis. ff. de Reg. Iur. Ad hoc enim ut transeat dominium si tradens dominus erat, vel Usucapiendi conditio, si dominus non erat, necesse est ut ipse venditor, qui rem tradidit sit ipse rei possessor *l. Traditio 20. l. Nunquam 31. ff. de Acq. rer. Dom.* Sed is qui primum vendidit ejusque nomine se possidere Constituit, amplius non possidet, sed is cuius nomine se possidere constituit *d. l. Quod meo 18 ff. de Acquir. vel amitt. Possess. l. Quadam 77. ff. de Rei vind.* Ergo etiam alteri possessionem tradendo neque dominium neque possessionem transferre potest, nemo enim plus Juris in alium transferre potest quam ipse habet *L. Nemo 54. l. nemo 120. l. aliud est 160. §. fin. ff. de Reg. Iur.* Et possessio ejus rei quam non possidemus à nobis fieri nequit *d. l. Traditio 20. & l. Nunquam 31. ff. de Acquir. rer. Dom. Salycet. in l. ult. C. de Acquir. possess. Tiraq. d. Tr. part. 3. lim. 1. n. 11.*

Et quia Constitutarius vere & proprie possidet, uti jam dictum, hinc nascitur alius effectus, Creditor enim virtute pacti de ingrediendo possessionem bonorum debitoris, post moram propria auctoritate ejus bona non potest occupare sed vim facere dicitur *in L. Creditores 7. ff. Ad l. Iul. de vi priv. & in l. Extat. 13. ff. Quod metus caus. ubi Ictus dicit, Quod vim faciat, qui quod sibi deberi putat, non per Iudicem reposcit,* Et prætor ita demum pacta privatorum servat, si Jurisdictionis formam, si Jus publicum, si judiciorum tutelam non evertant impugnentve *L. Iuris gentium. 7. §. Et generaliter ib. l. jus publicum 38. & l. inter debitorem. 42. ff. de pact. l. si filia nupta ff. fam. eriscund. l. Neratius. 20. ff. de Religios. c. si diligenti. X. de for. compet. quam sententiam etiam pluribus probat Vandus lib. 1. Var. quest.*



quest: 13 n. 5. 6. 7 & 8. Bald. cons. 346. quidam Creditor. lib. 3. ne-
 quæ dissentire videtur Dn. Bened. Carpzov. I. F. R. S. part: 1.
 Constit: 32. def: 27. Si autem huic pacto accesserit clausula Con-
 stituti, tum bona debitoris propria autoritate occupare non
 prohibetur, neque vim facere dicitur, sed solum modo,
 utitur jure suo acquisitæ possessionis per Constituentem, Is
 enim cui hypothecata sunt omnia bona debitoris, non pos-
 sidet nisi debitor hypothecaverit & constituerit se tenere &
 possidere bona hypothecata nomine creditoris Celsus l. 15. ff.
 de usucap. Ioh. Franc: Ripa Respons. 3. de Interdict. n. 2. Qui
 verò eo modo per constitutū vere & proprie possidet, is etiam
 habet facultatem rem pro lubitu occupandi, & quamdiu fa-
 cultas rem corporaliter apprehendendi adest aut saltem adef-
 se probabiliter creditur, tam diu etiam possidemus L. si id. 25.
 §. 2. vers. Quod suspicemur & l. possideri. 3. §. si quis 8. & §. Ner-
 va filius. 13. ff. de acquir: vel amitt: possess. L. 1. §. pen. ff. de vi &
 vi armat. Ampliss. Dn. D. Hahn in not. ad Wesenb. part. 2. ad
 Tit. uti possidet. n. 5. Plura hac de intricatissima & famosissi-
 ma quæstione videat, qui volet apud Decium cons: 400. col.
 pen. ante med. vers. secundo respondetur. Aretin. cons. 21. col. fin.
 Socin. cons. 82. col. 2. in fin. Cravett. Cons. 437. n. 1. & 2.

Denique & hoc operatur Constitutum Possessorium, quod
 donationes inter virum & uxorem, inter patrem & filium,
 quamvis non confirmantur morte donantis, nisi prius tradita
 possessione L. Papinianus 23. & l. 3. §. sciendum. 10. l. Cum hic
 32. §. 2. ff. de donat: int: vir. & uxor: Bachov: ad Treutl. vol: 2.
 Disp: 19. thes. 4. lit. E. p. m. 98. Eadem tamen intervenisse præ-
 sumatur, si accesserit pactum Constituti arg: d. l. Papinianus.
 23. ff. de donat int: vir: & uxor: Traditio enim rei donatæ non
 tantum per actualem traditionem, sed etiam per acceptilatio-
 nem

nem, remissionem & per fictam traditionem fieri potest *L. Hæc ratio. 3. §. fin. & l. 4. ff. de donat. int. vir: & uxor:* quæ idem operatur quod vera traditio *l. Quod de suo. 2. C. de dot. Caut:* Ubi adest traditio ficta, quæ idem operatur quod vera, quoniã ibi maritus plus in dote donandi animo accepisse professus est, atque adeo hoc incrementum dotis perinde ac si revera traditum fuisset, actione rei uxoriæ ab heredibus mariti recte petetur. *Bachov: d. loc. Vdal: Zasius ad d. l. Quod meo 18. ff. de Acquir. vel amit: poss: n. II.*

XIII.

Supereft adhuc ut paucis proponamus quomodo Constitutum possessorium finiatur.

Quamvis pactis contrariis priora tollantur *L. ab Emptione 58. ff. de pact: l. pacta Novissima C. eod.* quatenus scil: conventionne constant *d. l. ab emptione in fin. & l. Stichum 95. §. naturale ff. de solut:* Eaque de causa pacta & contractus qui solo consensu constant nudo etiam consensu dissolvantur *s. hoc amplius. Inst. Quib. mod. toll: oblig:* Id tamen de Pacto constituti possessorii affirmare non possumus, hoc enim pactum Constituti non manet in terminis nudi consensu, sed eo ipso statim & eo instanti transfertur possessio, adeoque res non amplius est integra, quapropter etiam necesse est, ut quod intervenit & fecit ne res amplius sit integra, rursus in contrarium agatur *arg. d. l. ab Emptione. & l. 1. & 2. C. Quand. lic. ab empr: disced:* Nam cum constitutum semel operatum suum effectum & eum quidem effectum separatum à Contractu, scil: translationem possessionis, quæ aliud est quam venditio, donatio aut alius quivis contractus, Ideo non annihilatur hic effectus ut in simili



mili probatur ex his quæ scribunt *Bart: & alii in l. Filius qui in potestate ff. de lib: & posthum.* Nec huic officit quod superius dictum, Constitutum esse accessorium Contractus principalis præcedentis nec absque eo subsistere posse, sublato vero principali & ea quæ accessorium locum obtinent evanescent *c. accessorium de Reg: Iur: in 6. l. Cum principalis 187. ff. de Reg: Iur: Cravett: consil: 106. n. 4.* Et proinde annullato contractu principali præcedente etiam constitutum annihilari; sed & hoc tum demum procedere cum statim à principio contractus erat nullus, nam tunc omnia inde secuta tanquam ab eo dependentia ejusque accessoria corruunt; Aliud autem est si ab initio contractus valuit, sed postea ex consensu partium aut alia quadam causa annihilatur, tunc enim per Constitutum quod absque alio præcedente contractu subsistere non potest translata est jam possessio & constitutum suum operatum est effectum: Vnde etiam re vendita & simul tradita per Constitutum non sufficit ad dissolutionem hujusmodi Contractus simplicem consensum partium intervenisse sed etiam requiritur ut fiat retraditio saltem per Constitutum; Et licet venditio quæ ab initio valebat ex post facto resolvatur, non tamen resolvitur Constitutum, nisi fiat retraditio realiter vel per Constitutum: *Gloss. in l. ab emptione 58. in Gl: ult. & ibi Bart. col. 2. vers. & tene menti. Salycet: colum. 2. vers. item quero, quid se venditor. Tiraq: d. Tract. de Iur. Constit: Poss: part. 1. n. 19.*

Extinguitur porro Constitutum possessorium morte constituentis, Ipsi enim duntaxat non etiam heredi ejus concessa est possessio per *L. cum precario aliquid §. 1. ff. de precar: & cap. ult. X. Eod.* Proinde Constitutum collatum post mortem nihil operatur, cum enim nemo possit constituere precario nomine


G

possi-



possidere post mortem suam, Ideo illo casu quo non amplius possidet constituens, deficiente animo consequenter etiam cessabit Constituti effectus, Et quia animus possidendi in defuncto Constituyente desit, ille amplius possidere non potest, sed illius defuncti Constituentis possessio plane extincta est, neque in heredibus Constituentis incipere potest, nisi de novo acquiratur *per text: disert: in l. Cum heredes 23. l. Qui universas ades 30. ff. de acquir: vel amitt: possess: l. final. 6. de Edict. Div. Hadrian. toll: l. Si homo 35. ff. de usurpat. & Vsup. l. 2. §. 1. ff. Expilat. heredit: Gabriel. consil. 141. n. 6. Menoch. de Recup. rand. possess. remed. 14. n. 67. Anton: Tessaure. Decis. 38. n. 1. & 4. Cravetta consil: 437. n. 6. Matth: de Afflict. Decis. Neapol: 335. n. 6.*

Utrum verò morte Constitutarii etiam solvatur Constitutum, de eo inter Interpp: non satis convenit. *Alexand: consil. 153. col. 1. lib. 6. Paul: Castrens. consil: 59. col: 2. vers. Item nec obstat lib. 1. in ea sunt opinione quod Constitutum sive precarium solvatur morte Constitutarii sive concedentis saltem quoad possessionem, nisi de heredibus Constitutarii expressè mentio facta fuerit in Constituto per text: in l. 1. §. Scavola ff. si quis test. lib. eff. d. l. cum heredes 23. & l. qui universas 30. ff. de acq: vel amitt: possess: Alii autem ut Phil: Decius in l. Et quia & in l. More majorum col. ult. vers. in quarta questione ff. de Jurisdict. omn: Ind: Et in l. Contractus col: 5. vers. & licet precarium ff. de Reg. Iur: Bart: in l. centesimis vers. Et ideo hic insurgit ff. de Verb: Obligat: Statuunt quod Constitutum non solvatur morte constitutarii sive concedentis sed ejus vis etiam maneat mortuo Constitutario, non enim finitur morte concedentis sive Constitutarii sed transit ad heredes ipsius per text. express. in l. quæsitum est 8. §. Quod à Titio. l. Cum precario aliquid*




12. §. Precario rogatio. 1. & in l. Cum precario quis 21. ff. de Precario: cap. ult. X. Eod: In quorum sententiam cum disertis nitatur textibus concedere non dubitamus; Neque obstat quod possessio non transeat ad heredes possidentis nisi ab illis apprehensa fuerit L. Quemadmodum. 17. §. 1. l. Peregre. 44. ff. de Acquir: vel amitt: Possess: l. cum heredes 23. Vbi Ictus Iavolenus ait, Cum heredes instituti sumus adita hereditate, omnia quidem Iura ad nos transeunt, possessio tamen nisi naturaliter comprehensa ad nos non pertinet ff. de acquir: vel amitt: possess. l. Qui universas ades 30. §. qui per colonum ff. eod: Quia per colonum inhaerentem possessioni nomine heredis, conservatur possessio heredi, nec solo animo intervertere possessionem potest l. ult: C. de acquir: vel amitt: possess: Eo enim casu, ubi non per nosmet ipsos, sed per alios possidemus, utut illi possessionem relinquunt, etiam tunc animo eandem possessionem retinemus, dummodo alius eam non fuerit ingressus; l. si de eo. 40. §. 1. vers. sed hac ita esse vera. ff. de acq. vel amitt. possess: Quæ etiam sententia fuit Proculi in l. cum quis 31. ff. de dol. mal. Cui Proculi sententiæ post quoque calculum adiecit Imperator Justinianus in d. l. ult. C. de acquir. vel retin. poss. Vid. Lud. Postius d. Tract. de Mandat. Manuten: obs. 59. n. 43. Costal: in l. 29. ff. Quib. mod: ususfr: amitt: Eamque esse communem opinionem à qua tam in consulendo quam in iudicando non recedendum, ut pluribus docent Cesar Contard. de Moment. poss. in ampl: 49. Cujac. ad l. cum nemo. 5. C. de acquir. vel retin. possess. post Bart. & alios Vultej. Marpurg. consil. 34. n. 44. vol. 1. Neviz. Sylv: Nupt. lib. 5. de commun. opin. n. 8.

Finitur denique Constitutum possessorium finitâ causâ vel titulo, Constitutum enim vel precarium tandiu vim suam



obtinere quamdiu durat causa sive titulus super quo interponitur; Ea autem causa finita vel cessante aut resoluta resolvitur finiturque Constitutum sive precarium super eo appositum e. g. si debitor obligavit bona sua creditori & eadem se constituit possidere nomine ipsius, si postea ipse debitor solvit debitum aut aliter se eo liberat extinguitur id precarium, quia id tacite actum videtur *per text: in l. si debitor & ibi Gloss. & Dd. ff. de Precar: Et hæc de Jure Constituti possessorii dicta sufficiant, uberiolem tractationem qui desiderat consulat Andr: Tiraquell: sæpe dict. Tract. de Jur. Constitut: Possess: Ioan Francisc: Rip. Matth. de Afflict. Ioh. Petr. de Ferrar. & alios Nos instituti nostri memores pedem hic figimus.*

Soli Deo sit Laus Honor & Gloria in
sempiterna secula.






Rünteln, Diss., 1624-60


ULB Halle 3
003 615 197


5b.

WOM







Dissertatio Juridica Inauguralis

15 65.

De
**JURE CONSTITUTI
POSSESSORII**

1658, 3.

QUAM

D. T. O. M. F.

Ex Decreto & Autoritate, Magnifici & Nobilissimi
JCTORUM Ordinis, in Illustri Academia Hasso-
Schaumburgica

PRAESIDE

Viro Amplissimo, Consultissimo & Excellentissimo

DN. JOHANNES MARTINO Brandes

J.U.D. & Pandect. Profess. Ordinar. & Facult. tuæ hodiè

Decano Spectabili, Dn. Patrono ac Promotore
suo maximo

*Pro Summis in Utroque Jure Honoribus & Privi-
legiis Doctoralibus ritè obtinendis*

Publico examini submittit

ENGELBERTUS Wipperman Brem. Sax.

Ad d. Novemb. horis ante- & pomeridianis

IN AUDITORIO JCTORUM.



RINTELII, Typis Vidua Luciane.

clō lo c LVIII.

